





CRATONIS
ISAGOGE
1560









IOANNIS CRATONIS

Vratislauiensis ad Artem medicam Isagoge.

Additæ sunt in libros Galeni De Elementis,
De Natura humana,
De Atra bile,
Et de temperamentis, & facultatibus naturalibus Periochæ Ioannis Baptistæ Montani:
CVM epistola IO. CRATONIS, qua rectè Galenum legendi ratio breuiter ostenditur.



Cum priuilegio S. Cæsareæ Maiestatis ad annos sex.

VENETIIS,
Ex Officina Valgrisiana. M D LX.

VT nil difficile est notare nigro,
Quantumuis bene feceris, lapillo:
Sic non tam facili via notatum
Ad formam redit absolutiorem.
Hæc quicunq; leni putas labore
Nobis qualiacunq; constitisse,
Hoc in puluere tu periclitatus
Dicas experientia docente,
An sumant operam laboriosam,
Immensos quibus artui recessus
Theseo penetrare cura filo est.
His nam pergameos sitire fontes
Discentes prohibere ne putemur,
Ad sacros veterum studemus hortos,
Securum Iuuenes iter docere:
Non ex id genus integram libellis
Rerum quis petat explicationem.
Nullum est grande satis quibus uolumen,
Metas ingenio, scoposq; figunt:
Quos curæ teneat modum, petatq;,
Quo frustra siue quis sibi profectus
Promittat solidos & expeditos.
Quin omnes valeant recentiorum
Nascentes operæ, nisi ad vetustam
Accessus sapientiam recludant.
Cui si quis leuiter fauet, studetúe
Nil vsquam leuius putetur illo.

MAGNIFICO VIRO,

nobilitate generis, virtute, ſapientia, & dignitate ampliſsimo D. GEORGIO MEHL à Strolitz Caſtellano Boleſlauienſi S. Cæſareæ Maieſtatis &c. Conſiliario fidiſsimo & regni Bohemiæ Procancellario, iuriſconſulto excellentiſsimo. &c.

IOAN. CRATO *Vratiſlauien. medicus* S. D.



VI ad artis Medicæ ſtudium animum applicāt, vel tanquam in arce quadam doctrinę veritatis, cuius nobis fundamenta iecit diuinus Hippocrates: quamq́; Galenus magnis operibus poſteritati exædificauit, mentem collocant: atque omnia, quæ ad eius ornatum, ſplendorem, & firmitatem facere poſſe videntur inquirunt: vel obſeruatione quadam conquiſitis, aut experiundo comparatis telis morbos oppugnant, & conſeruationi corporum humanorum operam dare ſtudent:

in utroque uerò conatum egregium,& ſuc-
ceſſus laudabiles ſæpe difficultas,atque ob-
Difficultas ſcuritas remoratur,& impedit. difficultatis
quidem plurimæ tum à natura, tum à fortu
na in diſcenda, atque exercenda arte ſunt
obſcuritas cauſæ. obſcuritatis,ut in cæteris rebus duę
potiſsimum: vel quòd excellentiæ ſplēdor;
vt lumen Solis infirmiores oculos adficit:
vel quòd propter animi noſtri, intelligen-
tiæq́; debilitatem cognitionis naturæ rerū
exiguitas tanta videtur, vt in hebetioribus
& tardioribus comprehenſionem prorſus
effugiat. hinc fit, vt quibus natura quidem
ad rectum propenſa eſt, ſed mentis, atque
ſenſus iudicium minus acre, uisq́; ingenij
ad concipiendas res tardior, in ipſo quaſi
lumine artem medicam deſperatione qua-
dam abijciant, atque deſerant. plurimi ve-
rò,quibus cōfidentia, atq; audacia(qua qui
dam magnam partem medicinæ conſtare
dixit) pro ſcientia eſt, relicta contemplatio
ne ueritatis, atque arte, quæ nunquam fal-
lentibus rebus continetur, exigui tempo-
ris,aut falſa,aut certè obſcura opinione col
lectis telis in morbos feruntur: eosq́; ita op
pugnant,ut ab iſtis propugnatoribus inter-

dum

dum naturæ plus ſit periculi, quàm à morbo hoſte infeſtiſsimo. fieri enim uix poteſt ut, niſi quis in ſcientiæ arce ſeſe continuerit, & rerum cauſas, ac militiæ huius leges moderationis etiam, atque continentiæ didicerit; rectè ſub imperio naturæ militare, eiq; contra morbos auxilium ferre poſsit: ſiquidem, ut Gal. noſter monet, agentes rectè benè cognoſcere, & rerum cauſas intelligere oportet. ac, quemadmodum is, qui fortuitò iactum hoſtem occidit, aut in fugam temerario quodam impetu conuertit, non propterea fortis, & induſtrius bellator cenſendus eſt; ſed qui rei militaris eam ſciẽtiam ſibi comparauerit, ut & ipſe rectè facere, & alios inſtruere poſsit: ſic neque Medicus dicendus, qui inſtructus uno, atque altero remedio, quæ rectè Deorum manus Herophilus appellauit, interdum morbum aliquem abigit: uerùm qui rationali methodo artem didicerit, & prudentia præditus, indicatione monſtrante viam, & modum, remedia adhibet, & medicationis ſuæ cauſas nouit, & explicare poteſt. ita fit ſæpe, (quòd Galenus de ſe commemorat) vt iiſdem medicamentis, quibus imperiti mor-

Agens caus cognoſcat:

Qui verè medicus:

bos exacerbarunt, artifices rectè,& tempestiuè adhibitis eos ſanent. porrò non poſſe quenquã ſibi ſola obſeruatione artem comparare, nec in Dione diſci, quid ſit pleuritis, multis in locis prolixè oſtendit Galenus: & ad veritatis ſtudium nos adhortatur, ac quę ad ſcientiam conſequendam, artemq́; rectè exercendam requirantur, accuratè docet. verùm perpauci hæc conſiderant, atq; rectè monenti obtemperant, & præualent ſæpe flagitioſæ, ac prodigioſæ opiniones: eſtq́;, vt Galenus inquit δυσοποιόν τὸ πρᾶγμα ἀμαθία σφόδρα, καὶ μᾶλλον, ὅταν ἀλαζονείᾳ μιχθῇ .i. ignorantia arrogantiæ, & ſuperbiæ coniuncta tale vitium, quod nullo modo elui, atq; deleri poſsit. vt autem ſemidocti plerunque ſunt arrogantiſſimi; ita hoc hominum genus, quod titulis, auro, & veſte inſcitiam velat: de imperitorum iudicio, quo nihil quicquam iniuſtius, ſuperbiſſimum, & ambitioſiſſimum: & nõ ſolum ijs, qui in illorum manus incidunt perniciosum; verùmetiam exemplo noxium: dum enim adoleſcentes, quorum ingenium à labore ad libidinem procliue eſt, æquales propemodum ſuos poſt paucorum mẽſium oberrationẽ, miran

dum

dum in modum efferri,& opinione excellē-
tiæ ſummos fieri, conſpiciunt; ipſi quoque
audendum ſibi aliquid putant: ſeq́; ſimile
facinus ſine pudore, atque periculo edere
poſſe arbitrātur, quò verò hoc malum com
mune, & peruagatum nunc eſt magis,& ne
quaquam quod exemplo fit perpetuò re-
ctum; eò diligentius non ſolum cohortan-
di ſunt, & contra peruerſa iudicia præmu-
niendi iuniores: verùm etiam adiuuandi,
atque confirmandi, ne vel difficultate, vel
obſcuritate deterriti, artes πρὸς ἀφοσίωσιν, ſeu
(vt iuriſconſulti verbo vtar) perfunctoriè,
& perfuſoriè diſcant: verùm certum ordi- diſcendi
nem, iuſtumq́; modum in diſcēdo teneant: ordo, et
& non niſi cognitis,penitusq́; perſpectis, & modus ser
ad rectum finem ſpectantibus rebus vtan-
tur. ordo quidem in diſcendo is eſt certiſſi- uetur: —
mus; cum propoſito quaſi compage doctri ORDO
næ ea breuitate, vt capere id animus noſter
poſsit,ſingularum partium explicationi me
thodicæ ſtudemus,noſtramq́; cognitionem
& animi exercitationem veterum lectione
augere, & confirmare conamur. modus au MODVS.
tem erit optimus; ſi rem omnium rerum
precioſiſſimam: tempus, non in aucupan-

diſs nugis,refellendis abſurdis,aut conciliã-dis, quæ à curioſis ingenijs diuulſa, atque diſiecta ſunt: & intricatis miſerè, quæ tamẽ in vſu nullius propemodum ſunt vſus, extri candis, conſument: ſed rerum verarum, & inter ſe cõſentientium, ac in vita vtilitatem habentium cognitioni intenti, doctrinam potius veterum fulciendam; vbi eſt infirmior: & expoliendam; ſi fortè obſcurior: atque augendam; ſi quid acceſſionis ad eã fieri poſſe videatur,quàm infirmandam,obſcurandam, atque diſtrahendam animo ſuo conſtituent.eſt aũt inſigne argumentũ inſci tiæ, arrogantiæ, atq; vanitatis aſpernari veterum authoritatem, aut in ea frangenda, atq; exterminanda ſtudium ponere: & imbecillitatis etiã immodicę nihil verum,atq; rectum cenſere,niſi idem à veteribus ſit pro ditum. ſua veterum, ſua poſterum gloria: eſtq; τὸ ἔνδηλον σαφὲς, ac verum probabile, & explicabile: contrà verò falſum ἀκατάληπτον, quæcunq; ætas proferat. ſæpe tamen, quæ ἀκαταληψίαι minus exercitatis, nec doctrinę corpus tenentibus videntur, multa rectè intellecta docent. inde fit, vt ætate, atque vſu rerum, ſententiæ veterum confirmato iudi-

iudicio veriores, & euidentiores, ac proptè rea ſuauiores, magis dulceſcãt, atq; amabiliores nobis ſint. iunioribus verò primò σωματοποίησις doctrinæ proponenda: qua perſpecta, arcem ipſam ingredi, & in contemplatione veritatis verſari, ac deinceps armis ſcientiæ, atq; prudentiæ naturæ opem ferre, & corpora tueri, atque defendere poſſint. Ea re, cum Godefridus Scharf, quem mihi pater eius Ioannes, ſocer meus, vir optimus, & integerrimus, & de Rep. noſtra præclarè meritus, moriens commendauit, animum ad artis Medicæ ſtudium (in quo ſingulari beneficentia D. Ioannis Baptiſtæ viri conſularis, & D. Pauli Heiucelij, ſenatoris Auguſtani fouetur) adiungere vellet; paucis ei non ſolum diſcendi ordinem; verùm modum etiam quendam collectis de rebus neceſſarijs, & in vſu artis vtilibus veris ſententijs commonſtrare ſtudui. ante triennium verò cum apud me eſſet Ioachimus Camerarius, Clariſs. Viri ornamenti Germaniæ noſtræ ſingularis, Filius tali parente, cum naturæ bonitate, & ingenij, atq; iudicij dexteritate excellat, dignus; eius admonitu multa in illis perpoliui, & correxi,

feciq;

feciq́; , vt libellus plurimis vsui esse posset. peruenit autem in studiosorum manus nescio quomodo in multa exẽplaria diffusus. id ego cum comperissem, & licentiam sæculi nostri in diuulgandis aliorum libris me tuerem; de præcipuis partibus huius doctrinæ sententias doctissimorum virorum, qui in Italia docent inuestigare (eius rei locuples mihi testis esse potest scientia artis Medicę excellens D. Ioachimus Cureus, cuius opera, & iudicio sunt vsus) studui, & accuratè limata, veterumq́; scriptis perpolita, ea quæ veritatis, & firmitatis plurimum habere videbantur in pauca contuli, & de prolixis disputationibus istas quasi cõclusiones collegi. potuissem quidem de singulis quæstionibus, si in explicatione immorari voluissem; tantillum libellum conficere: verùm propositum meum illud fuit, vt discentibus breuiter, & perspicuè, non solùm viam ad veritatem: sed res ipsas quoq; monstrarem & ita in cõspectum ponerem, vt pulchritudine earum studiosi primo intuitu capti, in intimam cognitionem omni studio contenderent: artemq́; medicam, quæ diuino munere hominibus concessa est, & tanquam

res ſacra tractanda, diſcerent. has autem
exercitationes quaſi in dialogos includere,
& per ἐρωτήματα exponere viſum eſt: quod
& antiquiſſimi ſcriptores de natura rerum
ad iſtum modum nos docuerunt: & quæ in
percunctando ponuntur, ea cum maiori at-
tentione obſeruari, facilius intelligi, & bre-
uiori ſermone explicari poſſe videntur. ac,
ſiqui hãc meam breuitatem ieiunitatem po
tius eſſe putant; illi hoc ſciant non fuiſſe mi
hi propoſitum ea, quæ tum à veteribus, tum
à recentioribus prolixè ſunt explicata, in
meum libellum transferre: atque aliorum
ſcriptis has chartas oblinere: verùm metho
dicè, ac propterea breuiter, quid in tanta va
rietate diſputationum ſequendum, atque
tenendum ſtudioſis exiſtimarem, oſtẽdere:
ne vel timiditate artem refugerent, vel in
quadam perplexitate, abijcere, quàm co-
gnoſcere mallent. ſunt autem hæc talia, vt
à veterum ſcriptis non abducant: verùm ad
ea legenda, & cognoſcenda aditum mon-
ſtrent, atque patefaciant. ac, cum ſit beni-
gnum, & plenum ingenui pudoris (quemad
modum Plinius ait) fateri, per quos profece
ris; non eo inficias πρωτότυπον magna ex par
te de

te de Doctiſſimi Fernelij ſcripto, quod mihi inambulanti, & dictanti iſta Godefrido in manibus erat, deſumptum. placuit in Fernelianis ordo, & videbam, haud quicquam poſſe fieri in eo melius. res verò, quæ granditate quadam verborum obſcuratæ, & interdum quaſi copia obrutæ videbantur ἁμαθέϛερον, καὶ σαφέϛερον explanaui: quæ parum explicatè dicta exiſtimarem; præſertim ſi qua authoritatem veterum, quam vbiq;, quantũ in me fuit, tueri ſum conatus, infirmare videbantur; vt plana, & perſpicua facerem, operam dedi. me verò hæc minimè glorioſè; ſed verè ſcribere apparebit tum ex alijs multis, tum ex diſputatione de calido innato: quam miror magnos illos Medicos, qui paulo plura in ſuos libros de Fernelianis tranſtulerunt, quàm ego; ne attigiſſe quidem: cum hac fundamentum omnis ſciẽtiæ medicæ ſtatuatur. quid enim ſcit, vel agit medicus ſanitati hominum conſulens, ignarus doctrinæ de calido innato? quod præſidium, & munitio præcipua vitæ eſt, cuius tuitioni, atque conſeruationi operam dare debet? ſunt autem Ferneliana perſpicuitatem, atq; euidentiam quandam aſſequuta, adhi-

calidu in natu,

adhibitis Montanicis cogitationibus: quæ quaſi ſuccum, & natiuum ſpiritum arte, & methodo è veterum ſcriptis expreſſum, ſtatuo. ea verò, vt firmiora fierent; ipſe doctrinæ corpus tàm Græcorum, quàm Arabum, vbi recta; atque explicata tradunt, oſtendi. nihil igitur hîc, dicent cõtemptores omniũ, & ſui admiratores, dictum, quod non ſit dictum prius? rectè ſanè. niſi velint hac ſententia damnatum Hippocratem: qui ea, quę columnis ſacris inſcripta erant, in ordinem redegit: & Galenum optimum Hippocratis interpretem; qui mutuatis ab alijs ſententijs plurimum eſt vſus. quid autem de Oribaſio fiet, qui ſeptuaginta librorum codicem, quem ἑβδομηκοντάβιβλον appellat, ex aliorum monumentis congeſſit: & rurſum de ijs epitomẽ ad Euſtathium filium fecit? quomodo illorum cenſuram effugient Aetius, & Paulus, qui ad verbum penè omnia ex Galeno, & Oribaſio tranſcripſerunt ita, vt de Paulo etiam in Græco epigrammate circumferatur illud. ἄλλοθεν ἄλλα ἰητρῶν προτέρων ἄνθεα. et quid de Arabibus fiet, qui omnia pene (id quod quidã nunc ſingulis oſtenſis locis planum faciunt) de Græcis conſarcina-

cinarunt? quàm multa de alijs scriptoribus possem producere exempla, quæ vt nõ omnia laudo; ita nullius studium in rem literariam improbo: ac doleo potius tantam nũc esse licentiam edendi, & libris complendi omnia: nihilq; nunc æquè magis vulgatum quàm libros concipere, & parere libros. in hoc autem nostro libello cognoscendo nõ, vt confido, perdent operam, aut malè collocabunt bonas horas ij, quibus nondum ratione, atque vsu ars medica penitus est percepta. quo in numero quàm nostro seculo sint pauci, quamq; rari ad summam scientiam, atq; excellentiam perueniant; sapientes verius, quàm imperiti iudicant: qui sæpe homines effrenata impudentia, & scelerata audacia, ac contumacia elatos, atque paucorum mensium obseruatione quadam, vel oberratione potius, medicos factos, nõ tanquam ex vrbe missos; sed vt diuinos homines è cœlo delapsos colunt: & illorum nefaria facta, quibus de fama bonorum detrahitur, vita hominum periclitatur, trãquillitas publica, & iustitia. qua nec Lucifer, nec Hesperus, secundum philosophi sententiam, pulchrior est, læditur, tanquã he-

roicos impetus probant, atque excuſant, denique ſine illis prouinciam ſaluam eſſe non poſſe exiſtimant, at quanto rectius eſſet, reuocare præmatura ſcientia elatos à vitijs, frangere improbitatem, atque petulantiam, abſterrere ab impudẽti oſtentatione, incitare ad ſtudium veritatis, moderationis & conſenſionis beneuolæ. ſed vera eſt Diuini noſtri ſenis Hippocratis ſententia οἱ ἰητροὶ φήμῃ μὲν πολλοὶ: ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοί. ſ. Plurimos eſſe fama Medicos: opere verò perpaucos. ac fit plerunque, vt de illis, in quibus eſt minimum verę eruditionis: iactantiæ verò inanis, & vanitatis multum, ſermonis, præſertim hominum imperitorum ſit plurimum, ὅμοιον γὰρ τῷ ὁμοίῳ φίλον, καὶ ἀμαθία θράσος ἀπεργάζεται. de his autem ſeculi incommodis illud cogitandum, ἀλλ' ἀγαθοὺς ἄνδρας χρὴ τάδε καὶ τὰ φέρειν. & iuniores monendi de Galeni noſtri ſententia: qui δευσοποιὸν βαφὴν. ſ. tincturam, quæ elui, & euaneſcere non poſſit eſſe dicit eam perſuaſionem, qua ſine ratione in doctrinis animus inficitur: neque ſperandũ eſſe, vt ſemel concepta praua opinio rurſus eluatur. qui verò aliquam in ſcientia medica excellentiam quærunt, eos & naturæ bo-

nitate

nitate, & primis doctrinæ rudimentis, quæ πρώτην διδασκαλίαν vocat, alijs præstare oportere: deinde, cum maturior ætas aduenerit; ad veritatis inquisitionem, & culturam, tanquam ἐνθουσιῶντας ferri: veterum doctrinam sine vlla intermissione cognoscere: rectè iudicare, & multo tempore βασανίζειν, καὶ σκοπεῖν. s. cum diligentia examinare, & vtroque oculo, ac omni animo intueri, & videre, quę rebus ἐναργῶς φαινομένοις consentiant, aut dissentiant. sed de his prudenter, & accuratè admonet studiosos clarissimus, & doctrina, atque vsu artis excellentissimus Iulius Alexandrinus, S. Cæsareę Maiestatis archiatrus doctissimè scriptis dialogis de medicina, & medico: & viam, qua ad verum decus in arte perueniendum sit, monstrat. ego hoc in loco monere, quod est hominis beneuoli, volui: & hanc πρώτην διδασκαλίαν (vt Galeni verbis vtar) breuibus monstrare mediocribus ingenijs, & veræ doctrinæ cupidis. si verò hęc in aliorum manus etiã peruenient; sanè hoc mihi in optatis est, (si modò votis res agitur) quod C. Lucilium doctum, & vrbanum hominem precatum Cicero scribit, vt ista neque ab indoctissimis, neque à do-

ctissi mis

ctiſſimis legantur. ſcio, quàm ſim omni uitę ſtatu tenuis, & quàm longè à ſumma illa abſolutione, & perfectione, abſim. ideoque mediocritatem ſequor: nec tamen ita deſpiciens mei ſum, ut docere me poſſe diffidam, quæ ipſe rectè didici. ſpero autem hæc breuiter decurſa, ijs, qui mediocri iudicio ingrediuntur ad ſtudium artis medicæ, & peruenire aliquò cupiunt, ut quæ eò, quò intẽdunt, ferre atque deducere poſſint, grata acceptaq; futura. cæterum, Ampliſſime uir, ut tuo nomini inſcripta iſta diuulgarem; nõ ſum opinione quadam eius augendi, atque illuſtrandi, aut poſteritati commendandi; cum propter multa in Remp. & præſertim patriam tuam merita omnes anni conſequẽtes memoriam tui excepturi ſint; adductus: multo minus; cum Excellentia tua in iuris ſcientia, & gubernationis reip. magna cum laude uerſetur. & ob eam ipſam cauſam inuictiſsimo Imperatori Cæſari Auguſto ſit gratiſsima; ut præſtantiam tuam docerem: ſed, ut promiſſum, quo me teneri cogitabã, facerem: meq; tibi ad perpetuam gratiæ debitionem obſtrictum eſſe publicè, & uerè oſtenderem. cum enim ſuperiori anno Mon

tanica noſtra ad te mitterem; inſcripſeram
libello uerſus in hanc ſententiam me tuæ
Ampl. quod magis meũ eſſet, ſi modò gra-
ta quies ſtudijs concederetur; daturum.
uolui igitur nunc bonum nomen imitari,
quod cum totum æs alienum diſſoluere nõ
poteſt; partẽ reddit, ac potius hac ipſa qua
ſi altera penſione debitum profiteri: præſer
tim cum ad merita tua ex teſtimonio, quo
beneuolentia, iudicioq; ſingulari me orna-
re, atque augere voluiſti, ea nuper facta ſit
acceſsio, quæ rationes meas tàm in reſpon
dendo, quàm ſatisfaciendo tibi, planè con
turbat: etſi hoc quidem fieri omnino poſſe
diffidam; alterum magnam ſanè difficulta-
tem habere ſentiam: uerùm tamen, cum ea
ſit naturæ tuæ bonitas, ut te beneficium ac-
cepiſſe putes, cum dederis: & in noſtrum
ordinem voluntatis propenſio, ut quod Ve-
ſpaſianum de ſe dixiſſe ferunt, de T. Præſt.
ueriſsimè uſurpari poſsit, cum ἀκλείστους θύρας
παράχειν σοφοῖς ἀνδράσι accipies, & hunc hoſpi
tem non ingratum, ac referendæ gratiæ cu-
pidum, eumq; ſartum, tectum ab iniurijs
maleuolentiæ conſeruabis, & teſtimonio
gratæ mentis: quod tibi de me dicit, eam fi
dem

dem adhibebis, quam tu ipſe, Vir optimus probo, & fideli adhibere ſoles. me tuam præſtantiã ſummè colere, atq; diligere, idq; merito tuo à me fieri eſt veriſſimum: prolixè autem illud hoc in loco oſtendere, aut præconium tuarum laudum facere, neque ſapiens, & moderata tua natura admittit, neq; ſimplex mea ingenuitas patitur. Apelles arte pictoria excellentiſſimus Alexandrum magnum manu fulmen gerentem pinxerat: quam tabulam cum Lyſippus plaſtes eximus conſpexiſſet: haſta, inquit, ſatis erat: inſimulãs Apellem aſſentationis. hoc verò vitium, vt peruulgatum nunc quidem eſt, & adulatorijs ſcriptis, atque picturis ferè & completa omnia; ita ſapientes principes, viri minimè illis delectãtur: & haud dubiè Homerico illo reclamant, τί μ' ἀθανάθοισιν ἐΐκεις, quid me immortalibus æquas? quare hoc in loco neque tuæ præſt. neque mihi vllam moleſtiam exhibebo, vnica ea laude, quam ſenarius græcus viro bono tribuit, dum κοινὸν ἀγαθὸν. ſ. commune bonum appellat (præſertim cum in omnium oculos incurrat te dignitatem, qua multis pręſtas: ſapientiam, atque excellentiam, quam

ingenij vis, doctrina, industria, & rerum vsus conciliauit, ad publica commoda conferre) contentus. ac potius, quod mei est officij, cum complura, atque præclara tua sint in me merita; illud faciam, quod bona fides, & grati animi memoria perpetua requirit, vt quibuscunque potero modis studium, & voluntatem gratificandi ita declarem, quòd reipsa perspicias, nihil mihi esse magis in votis, quàm me inter tuos, qui pro tua dignitate, & summa bonitate permulti sunt, maxime omnium esse tuum: vixq; vllum reperiri, qui magis ex animo diligat, quàm ego, & diligo: & omni cultu, obseruantiaq;, tuas eximias, atque magnificas virtutes complector. B. V.

FERDINANDVS, diuina fauente Clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus: ac Germaniȩ, Vngariȩ, Bohemiȩ, Dalmatiȩ, Croatiȩ, Sclauoniȩ, &c. Rex: infans Hispaniarum: Archidux Austriȩ: dux Burgundiȩ, &c. Marchio Morauiȩ, &c. Comes Tyrolis; &c. Honorabili, docto, nostro, & Imperij Sacri fideli dilecto Ioanni Cratoni, philosophiȩ, & medicinȩ doctori, Physico nostro, gratiam nostram Cȩsaream, & omne bonum. Exposuit nobis humiliter egregius noster, & sacri Imperij fidelis nobis dilectus Georgius Mehl à Strolitz, vtriusque iuris doctor: consiliarius noster, & regni nostri Bohemici procancellarius, te in optimarum artium studijs diu versatum, & cum multorum salute in Vrbe nostra Vuratislauia stipendio Reipublicȩ conductum, iam multis annis artem medicam feliciter exercuisse studia etiam discentium, eam à te ȩditis libellis, & tuis, & prȩceptoris tui Ioannis Baptistȩ Montani Veronēsis adiuuari: sed auaritiam quorundam tuis insidiari laboribus: eaq́; quȩ Typographis excudenda das, ab alijs recudi, tuosq́; typographos hoc modo damno affici: te igitur non tàm tua, quàm illorum causa laborare, & humiliter nobis supplicare, vt tibi in hac parte per publicum interdictum clemēter prouidere dignaremur. Cum autem exemplo

summorum Imperatorum, & Regum, maiorumq; nostrorum non minoris laudem iuuandi, & tuendi bonas artes, studia humanitatis, artisq; Medicę, quàm potentię duxerimus, atque existimauerimus eiusmodi diligentiam, ac conatum tuum in ędendis talibus libris non solùm benignè, clementerq; approbauimus; verùm etiam authoritate nostra Cęsarea omnino promouendum statuimus. quocirca per prę-sentes literas nostras scienter, animoq; benè deliberato, & dicta authoritate nostra Imperiali firmiter decernimus, & statuimus, Vt CVICVNQVE *Librario, siue Typographo tradideris, & concesseris libros tuos in arte medica, vel pręceptoris tui Ioannis Baptistę Montani, qui à te sunt emendati, & correcti, horum ne quid alteri, nisi te permittente, intra sexennium ab eo tempore, quo liber exierit, recudere, imprimere, aut alibi impressum importare, & vendere fas, licitumq; sit: seriò inhibentes, atque vetantes, Ne quis impressor, bibliopola, institor, aut qui negotiationem literariam exercet, in vniuersis ditionibus, terris, ciuitatibus, municipijs, atque alijs locis tam sacro Romano Imperio, quàm cæteris Regnis, dominijs & prouincijs nostris mediatè, vel immediatè subiectis eos libros, qui à te* IOANNE CRATONE *æditi sunt: nominatim verò tuam Methodum Therapeuticam: Introdu-*

ctionem

ctionem in artem Medicam: Libros de putredine, contagione, & peste: & Ioannis Baptistæ Montani opera, studio tuo correcta per continuum sexennium ab eo die, quo liber tuus exierit, in eandem, vel alia forma, ijsdem caracteribus nisi te sciente, & permittente recudere, vel alibi impressum importare, vendere, distrahere, publicè, vel occultè, aut quouis alio quæsito colore audeat, vel præsumat. huius nostri edicti si quis authoritatem spreuerit ad librorum impressorum, vel aduectorum amissionem: qui in vsum, & commodum scholarum eius loci, in quo reperti fuerint, cedere debent: mulctam ei irrogotam volumus, & in præsentia irrogamus Octo marcharum auri puri fisco nostro Imperatorio, & Typographo, cui damnum datum fuerit, ex æquo persoluendum toties, quoties contrà factum fuerit. Mandamus igitur fisci nostri procuratoribus, vt commißam illam à quocunque seuerè exigant: & magistratib. vbicunque locorum Sacri Romani Imperij subiectorum, vt Typographis, qui vel libros impressos, aut aduectos in scholarum vsum conuertere volent, vel suam partem mulctatitiæ pecuniæ petere; ad illam obtinendam, omni ratione, & seueritate adiuuent, ac defendant: sciantq; nisi fecerint; se in Cæsaream nostram indignationem incursuros: & nos declaraturos illorum remissionem, vel negligentiam nobis

grauiter fuiſſe moleſtam. Volumus enim Edicta noſtra firma, & illabefactata eſſe, & Maieſtatem Imperij, ac quos in fidem noſtram recipimus, omnibus modis tueri. in cuius rei euidens teſtimonium præſentes literas manu noſtra, ſubſcriptione, & ſigilli noſtri impreſſione muniuimus. Datum in noſtra Imperiali ciuitate Auguſta Vindelicorum, die vigeſimaſecunda menſis Martij. Anno domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimonono Regnornm noſtrorum Romani Vigeſimonono: aliorum vero triceſimotertio. FERDINANDVS. V. held.

Ad mandatum Sacræ Cæſareæ Maieſtatis proprium. M. Singkhmo ſer.

NOs Conſules ciuitatis Vuratiſlauiæ in Sileſiis notum facimus; præſentiumq; literarum noſtrarum ſignificatione teſtatum eſſe volumus, quibus expedit vniuerſis: nos vidiſſe, recitari audiſſe, in manibusq; habuiße literas vnas, in pergamenæ membrana deſcriptas à Sereniſſimo, potentiſſimo, inuictiſſimoq; Principe, & domino, Domino FERDINANDO, Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, ac Germaniæ, Vngariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ &c. Rege: Infante Hiſpaniarũ: Archiduce Auſtriæ: Duce Burgundiæ, &c. Marchione Morauiæ &c. Comite Tyrolis

rolis &c. Domino nostro gratiosissimo æditas, suæq. Sacrat. Cæs. Maiestati: autentico signo obsignatas. Quib. Sac. Cæs. Maiest. Egregium, ac Spectabilem dominum IOANNEM CRATONEM, *philosophiæ, & medicinæ doctorem, physicum suum, in fidem suam clementissimè recipit: & ei benignitatem singularem, vt in diplomate comprehensum est; confert. cum autem eius participem fieri honestum virum Vincentium Valgrisium typographum Venetũ D. Ioannes Crato voluerit, suæq. huius voluntatis expressam significationem dederit, atque in Consessu nostro apertè, & ingenuè testatus sit, concedere se huius Cæs. priuilegij vtendi, fruendi facultatem ad insequens sexennium in excudenda secunda centuria Consultationum Montani à Ioanne Cratone sæpe iam dicto, auctarum, & correctarum: item ad expressionem Isagoges medicæ eiusdem D. Ioannis Cratonis, & Methodi Therapeuticæ: modo Vincentius Valgrisius commissos libros probè, & correctè typis describat;* NOS IGITVR *huius voluntatis domini Ioannis Cratonis testes integri sumus, hasq. publi-cas literas conficiend. curauimus: quibus &c.*

IOAN-

IOANNIS CRATONIS VRATISLAVIENSIS ARTIS MEDICAE DOCTORIS AD artem medicam per erotemata Introductio.

EX FERNELIANA DOCTRINA. fere tota:

Qua ratione, via, ac modo, mihi discenda est ars medica?



Duo discendi modi:

DVO *sunt discendi modi: unus, qui in collectione præceptorum, atq; sententiarum uersatur: quo etiã rudioris ingenij homines usu, atq; exercitatione imaginem, seu umbram potius artium sibi comparant: qui a Græcis* τὸ ὅτι, *dicitur. alter, qui methodo ac recta ratione ad finem scientiæ, uel artis nos deducit: quẽ* διότι *appellant. hoc rectè ars medica discitur.*

Quid est methodus?

EST *breuißima, & artificiosißima ad discendum uia: ideo à ueteribus dicta* ὁδὸς καθόλȣ μία ἁπάντων κοινὴ τῶν κατὰ μέρος, *idest, est communis quidem uia in artibus: sed perfecta, & certa, qua uera ratione peruenire ad omnia particularia, seu res nobis tanquam scopos, & metas propositas, ad quas nostra tendit cognitio, potes. est autem uia recta, plana, & breuis, & compendiaria, quam, cum ingredimur, resoluimus, uel*

compo-

componimus res eas, quas ἐπίσασθαι deſideramus, ſiue ad quarum cognitionem, propoſito certo ſcopo, ſeu fine, uel principio, deuenire cupimus.

Quot ſunt eiuſmodi viæ, quotúe doctrinarum ordines?

Tres progrediendi modi.

VT tres ſunt progrediendi rationes, uidelicet, uel à ſummis ad ima: uel ab imis ad ſumma: uel uolutatio in gyrum, ſeu in circulum itio: ita tres ſunt uiæ methodicæ: reſolutiua, qua à ſummis ad ima uſque fit tranſitus: compoſitiua huic contraria, qua à primis principijs, & initijs rerum, ſeu elementis ad ſummum uſque ſcandimus: definitiua; cum rem animo conceptam, & conglobatam cum omnibus ſuis partibus. quaſi circulo includimus. Nec hic remoretur diſcentes, quòd quidam plures methodos ponunt, & ſubtiliter de methodis, & doctrinis methodo inhærentibus diſputant: nam ſi uerè rem æſtimare uolumus; duæ ſunt ad omnem ſciẽtiam uiæ: ἀναλυτικὴ, καὶ συνθετικὴ nec plures his, directè, ac ad metam ducentes reperiuntur. eas uerò cum ingredimur; ſæpe ὁριστικῇ διδασκαλίᾳ, opus eſt; ſæpe diuiſiones, ſæpe demonſtrationes uſurpamus. ſed uarijs de his opinionibus non debent diſcentes moueri; cũ rei ueritas ſit conſpicua, & manifeſta. nam & Geometræ ἀπαγωγὴν πρὸς τὸ ἀδύνατον, quæ refutationi conueniens eſt, ponunt.

Declara hæc?

NON

NON possunt declarari rectius, quàm exemplis. ea uerò in uniuerso studiorum curriculo multa in conspectum uenient. nam definitiuæ methodi, quæ est ratio recta comprehendendi, atque tradendi res perceptas, atque per diuisiones, causarum explicationes, demonstrationesq; certas explicandi. Videbis in arte Galeni, quam μικροτέχνην, seu paruam uocat. hunc enim libellum Galenus postremò scripsisse uidetur, atq; totius artis summam complecti uoluisse; ut ad omnem ætatem memoriæ firmiter inhæreret. quemadmodum autem in gyrum sese conuoluere minimè usitata uia est; ita & definitiua methodus magis memoriæ, quàm tradendis, & inueniendis artibus seruire uidetur: nam res, quæ inuentæ sunt, tanquam μνημόσυνον aptè secundum dialectices præcepta assignat, atque obseruat. ac propterea à Galeno in principio artis medicæ rectè διδασκαλία, seu doctrina ordini inhærens dicitur.

Methodus definitiua magis memoriæ, quam tradendis artibus confert:—

Explica igitur ea, quæ paulò antè de resolutiua, seu de analysi dixisti.

EST quidem hæc res, si ulla alia, explicatione digna: hac siquidem uia omnes artes inuentæ, atque constitutæ sunt: hac in arte Medica in omnium affectionum cognitionem certa ratione deuenimus, & quid faciendum sit perspicimus: hac denique in intima naturæ penetralia penetramus. est autem resolutio, seu analysis progressus, uia certa, prælucente nobis notitia finis rei, per ea omnia, quæ ad finem spectant, recta ratione

Resolutio.

tione, atque ordine, donec ad principium, & ad prima, seu ultima nobis proposita diuina ui intelligentiæ perueniamus, & ueram notitiam, atque usum consequamur: uidelicet uel ab effectu ad causam, seruata serie causarum: uel à toto ad omnes eius partes, uel ab uniuerso ad singula, uel à composito ad simplicia, uel à posterioribus ad priora.

Da Exemplum.

EXEMPLA in Galeno multa sunt in libro de constitutione artis: methodo θεραπευτικῇ, & alijs libris, & nos posuimus quædam in nostra methodo: sed nunc unum subijciam. medicæ artis finis est humani corporis sanitatem tueri, morbosq; depellere; ut homo saluus, & incolumis seruetur. est igitur medicinæ subiectum corpus humanum. ab hoc Medicus, qui arte utitur, & naturæ uerus minister est, uel morbum depellit, uel sanitatem in eo conseruat: sed hæc præstare nequit, nisi intellectis causis conseruantibus sanitatem, uel facientibus morbum: neque nisi per certa signa, naturas corporum, & morborum noscat. his igitur consideratis, tota ars medica in conspectum uenit, nam primùm sese offerunt duo, uidel. corpus humanum, uel in sanitate conseruandum. hic ὑγιεινὴ, quæ rationem sanitatis tuendæ monstrat, locum habet: atque hæc cum conseruet, corrigat, reficiat, & præseruet à periculo; habet administras φυλακτικὴν, ἐπανορθωτικὴν ἀναληπτικὴν, καὶ προφυλακτικὴν. deinde, cum iam cor-

Si quo qs ægrotat scire uolumus signor[um] op[e], & causar[um] inuestigatione indigemus:

pus à ſanitate receßit; uidendum eſt, quomodo, & quibus de cauſis hoc ſit factum: id ſignorum, & cauſarū ope fit. ſequitur igitur pars medicinæ παθολογικὴ, quæ in affectuum præter naturam, uidelicet morborum, ſymptomatum, & cauſarum conſideratione uerſatur. hanc rurſus σημειωτικὴ, quæ non tantùmmodo prognoſtica ſigna de morbi exitu inueſtigat; uerùm etiam præterita cognoſcit, & de præſentibus rectè iudicat: atq; ita & conſeruandæ, & curandæ, recuperandæq; ualetudini conducit. postremò θεραπευτικὴ, quæ laboranti corpori, recta indicatione repertis præſidijs ſuccurrit, atque medetur. atque ratione præſidiorum diſtinctio fit, in διαιτητικὴν: quæ in morbis uictus rationem præſcribit: φαρμακευτικὴν: quæ remedia monſtrat: χειρουργικὴν: quæ ubi opus eſt; manum admouet, ſed cum horum nihil obire poßit medicus, niſi uniuerſa humanis natura, conſtitutioneq; corporis, partibus, potentijs, atque actionibus perſpectis: ideò requiritur illa pars, quam φυσιολογικὴν appellant. ea enim naturam hominis, eius conſtitutionem, uires, & functiones explicat. hoc exemplum etſi non ualde illuſtre eſt: tamen, quia medicinam totam ob oculos ponit: deinde omnes ac ſingulas partes explicat; proponendum hìc uidebatur.

Cu[m] ad[e]o morb.

παθολογικὴ

θεραπευτικὴ

φυσιολογικὴ

Cupio, & de methodo compoſitiua doceri.

NVLLA quidem hac ad docendum, & diſcendū aptior, & cum ea uſus ſit Auicenna quantumuis ille ui-

tio ſit

tio sit interpretum corruptus: tamē hactenus in scholis magna, & accurata diligentia est conseruatus. opponitur autem planè resolutiuæ methodo: hæc enim ea, quæ per resolutionem inuenta sunt, eò usque digerit, & componit, donec ad extremum finem, & rerum apicem deueniat. ex causis inuestigat effectus: ex partibus totum componit: ex simplicibus composita efficit: ex prioribus posteriora nectit: atque id omnium primo loco statuit, quod per analysim postremò est repertum. itaque, cum artem medicam hac uia tradere uolumus; primò φυσιολογίαν *explicamus: deinde ad alias (ut in analysi ostenditur) progredimur. Ac qui hoc modo in studio medico non uersatur, is uerius umbrā rei, quàm rem ipsam consequitur.*

Doce igitur me breuiter partē medicinæ naturalem methodo compositiua adumbratam.

Elementa.
Temperamenta:
Humores
spiritus
Potentiæ,
Actiones.
Membra:

PRIMO *se offerunt Elementa: horum conuenientia constituit temperamenta. subsequuntur humores, & spiritus, deinde potentiæ, seu facultates. ad horum operationes, seu actiones opus est certis membris, seu instrumentis. ea membra, seu instrumenta constituunt corpus humanum. fiunt autem in corpore humano mutationes ratione ætatis, temporum anni, regionū, & constitutionum particularium aeris: quas Græci* κατασάσεις *uocant: atque his omnibus cognitis, medicinæ eam partem, quæ naturalis dicitur, tenes: siquidem hæc, quæ recensui, res naturales uocant. in cu-*

ratiua

Mutationes in humano corpore unde, ?

In principaliss° suo signato: Natura pro temperatura accipit: 3° aphor. c° 2°.

ratiua autem methodo res præter naturam explicant, uidelicet morbi, morborum causæ, & symptomata, quæ morbos consequuntur, de quibus suo loco dicendum est.

Primùm, cum naturalem partem medicinæ discere debeam; cupio scire, quid sit natura.

NATVRAE nomen apud Hipp. & Galenum uaria significata obtinet: primò significat ipsam temperiem; ut cum dico æstas est natura calida, & sicca: uel naturæ hominum: hæ ad æstatem: hæ ad hyemem se melius habent. secundò significat ὁρμὴν, seu impetum, & propensionem animi; ut Aiax est natura iracundus. tertiò peculiarem constitutionem; ut quidam sunt natura angusti pectoris: quibusdam natura caput debile est, sic ait Hipp. de ratione uictus in morbis acutis. Naturæ omnium doceri non possunt. nunc referantur ἰδιοσυγκρασίαι .s. proprietates indiuiduorum: ut quidã natura abhorrent à rhabarbaro. Gal. ad Glauconem, communis, & propria hominum natura medico noscenda est. quartò uim naturalem diuinitus ortam, corporum dispensatricem, seu calidum innatum; ut natura uentriculi est coquere chylum: hepatis generare sanguinem: cordis spiritus. sic dicimus. natura est curatrix morborũ. s. cum uis illa insita: rursus sese à remedijs rectè adhibitis adiuta, atque excitata erigit, tunc noxia corpori depelluntur. cum succumbit omnino, neque medicinæ possunt ad ἐνεργίαν, seu actum ab ea perduci; corpora sanitatẽ recuperare nequeunt. quid autem

Naturæ multiplex significatum: lege 2° de uictu acutorum: c° 32. quid autem sit Natura: lege infra. fol. 80:

Vt EQVES ROuerius 7 annis. p° aph. c° XV.

Natura est dr. Acerrimũ illud potentiarum quo, quibus uiuimus, et recte ualemus. Valleriola. lib. 2° de symptomaticis. fol. 456. Dr et Dei iussus, Jul. Scaligerus, ptera. Quod semen prius erat, id gignit animal natura quædam fit: 2° de partijs natibus:

autem ſit uis illa, quæ una quædam, ſed differentia ineffabili, ſingulis indiuiduis ineſt, nemo poteſt ſatis explicare. definitiones multæ extant apud Ariſtotelem, & Galenum: ſed eas enarrare nunc non eſt noſtri inſtituti. non rarò etiam pro poteſtate dei ordinata uocabulum naturæ uſurpatur; ut Hipp. *in libro de aere, & aqua,* οὐδὲν ἄνευ φύσιος γίνεται· ἅπαντα γὰρ πάθη θεῖα *item in primo de ratione uictus.* φύσιν πάντες θεοὶ διεκόσμησαν. *ſunt & aliæ ſignificationes in* Hipp. *& Galeno: quas ſtudioſi rei medicæ obſeruabunt.*

DE ELEMENTIS, ET PRINCIPIIS ANIMANTIS.

Quid differunt principia, & elementa?

Medici ab Elementis. phi à principijs suã doctrinã ordiuntur

VT *medici ſuam doctrinam ab elementis ordiuntur; ſic philoſophi à principijs. ſunt autem elementa corpora ſimplicia ex alijs ſimplicioribus facta: quæ in partes diuerſarum ſpecierum diuidi non poſſunt: & eiuſdem ſunt generis cum ijs, quæ ex ipſis cõſtituuntur. principia uerò ſunt, ex quibus non modò omnia fiunt, quæ naturaliter exiſtunt; uerùm neque ex alijs ſunt, neque eiuſdem generis eſſe poſſunt cum ijs, quorum ſunt principia: uidelicet quatuor qualitates; nempe ſumma caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas: unà cum materia prima, quæ, ſecundum philoſophos, omnibus elementis ſubiecta eſt: quæ omni qualitate caret, & ut*

ELEMENTA

PRINCIPIA

MATERIA PA

ortus

ortus : ita interitus, & dissolutionis expers. sed de principijs aliter loquitur Aristoteles: qui tria ponit: materiam, formam, & priuationem. hæc uerò inquirere non est medici, qui est artifex sensitiuus. agemus igitur nunc de elementis.

Quid est elementum?

GAL. lib. 1. de elementis sic definit. est minima rei quam constituit, portio: sunt enim corpora simplicia, ex quibus id, quod compositum est, primò constituitur. minima dicuntur; quia nullam sectionem, cum ad ea peruentum est; admittunt. simplicia; quia qualitate summa sunt prædita, nec quicquam admixtũ habent.

Possuntne illa sensu dijudicari?

SANE, ut pura non possunt. itaque cum medicus sit artifex sensitiuus: elementa ipsa, non ut puriss. & simpliciss. corpora; (nullum enim elementum purum in animalium corporibus reperitur) sed ut in sensum ueniunt, diiudicat: cumq; ipsa elementa non pura sint; hinc quoque diuersitas partium in compositis sequitur.

Quot sunt elementa?

NON esse unum probat Gal. 1. de elementis ex ratione doloris: unum nunquam seipsum non mutat, nec à se patitur: ideò nec dolore afficit. quatuor autem esse elementa uidelicet ignem, aerem, aquam, terram, tangendi facultas omnium prima ostendit. nam huic of-

fertur calor, frigus, humor, & ſiccitas. eſtq́; quodlibet elementum una harum qualitatum ſummè præditũ, ut ignis eſt ſummè calidus, & caloris quidem ui exiccat, ſed terra eſt igne ſiccior: quia omne humidum abſumit. ideò eſt elementum ſicciſsimum, graue, atque conſtans. ſic aer eſt humidiſs. propter tenuitatem, qua eius humiditas ima penetrat aqua minus humida: etiãſi ij, qui aqua perfunduntur, plus madent, quàm qui aere. eſt igitur puro igne nihil calidius: terra nihil ſiccius: aqua ſincera nihil frigidius: aere nihil humidius. ſed quodlibet elementum remiſſas quoque qualitates habet: ut ignis ſiccitatem: terra frigus: aer calore: aqua humiditatem.

Aer ē humidior q̄ aqua,

Suntne elementa qualitates ipſæ?

MINIME: *ſed ſunt ſubſtantiæ ſimplices, quibus quatuor qualitates inſunt. acutus ille Arabs Auerrois medio modo inter ſubſtantiales, et accidentales formas elementa ſe habere affirmat.*

Quomodo conſtituunt corpus humanum, vel alia?

MISTIONE: *eſt autem miſtio diuerſorum in unũ concretio, ſeu, ut Ariſtoteles ait, miſcibilium alteratorum unio.*

Miſcenturne elementorum ſubſtantiæ an qualitates?

VARIAE *ſunt diſputationes: quidam ſolas quali-*

tates

tates elementorum misceri putant: & elementa in mixto uiribus tantum, & potestate, non substantia inesse statuunt. hanc sententiam Auicennæ copiosè refutat Auerrois.iij. de Cœlo, Com.67. & dicit. Formas substantiales eorum misceri, & in collectione earum aliam formam prouenire: formas autem substantiales elementorum, diminutas à formis substantialibus profectis ponit: & esse eorum medium statuit inter formas, & accidentia. stoici uoluerunt misceri substantias: sed Galenus misceri qualitates, & in mixtione non perdi substantias affirmat.

Gal. opinio de mistione elementorum:-

Manentne in mixtis substantiæ elementorum?

MANERE statuunt medici: sed alterari transmutatione ea, quæ fit in qualitatibus: sic ossa in homine terræ locum obtinent: spiritus aeris, &c. deniq; ex elemẽtis primum componuntur simplices partes: ut fibræ, caro, ossa, medullæ. illa rursus ex sanguine, pituita, bile, & melancholico succo constant. hæc uerò ex illis, quibus corpora nostra nutriuntur. ea autem è terra, aqua, igne, & aere gignuntur: ex iisdem enim alimur, ex quibus sumus. de secundis uerò elementis. s. de humoribus postea dicendum erit.

Ex eisdẽ alimur ex quibus sumus:

Ad quid est vtilis medico futuro hæc doctrina?

VT cognoscat ad elementorum conuenientem, & legitimam temperaturam consequi sanitatem: & ex

eorundem deprauata, & uitiosa mixtione corpora ægrotare.

Quid sibi vult Galenus; cum hominem dicit constare ex partibus similaribus tanquam ex primis,& simplicissimis elementis?

LOQVITVR *de elementis; ut medicus, uidelicet de simplicissimis partibus: quæ incurrunt in sensus: ut ipse declarat se in libello de optima humani corporis constitutione, inquiens,* ὁμοιομερῆ καλεῖται, δηλονότι πρός αἴσθησιν ἁπλᾶ, *id est, similares, seu eiusdem naturæ partes uocantur; quia iudicio sensus simplices sunt. ideò etiam uocat illas* ὁμοιογενῆ *et eiusdem generis, &* στοιχειώδη *sensilia elementa: nonnunquã* στερεὰ μόρια *solidas particulas: nunc* πρῶτα μόρια *prima corpora: uidelicet, quia ex illis non solum constant organica membra, seu partes instrumentariæ: sed totum corpus componitur.*

Quid igitur est pars similaris?

GALENVS *definit partes similares esse, quæ undiq; in similes diuiduntur, & viij. de placitis Hip. & Platon. ait, Similares partes sunt, quæ omnes tum sibi mutuò, tum toti similes partes habent: ut arteriæ, uenæ, nerui, ossa, cartilagines, membranæ, ligamenta, tunicæ, caro, & id genus alia.*

Estne partium similarium differentia?

ETSI *difficile est partem planè simplicem in corpore*

corpore reperire; tamen, quæ ſenſu iudicantur, ac ſimplices, & ſimilares uocantur, ſunt in duplici differentia: quædam enim uerè ſunt ſimilares, quarum uniuerſæ particulæ inuicem eiuſdem ſunt ſpeciei: nec in partes alterius ſpeciei diuidi poſſunt; ut fibræ, oſſa, membranæ, caro &c. aliæ ſunt ſimilares, quæ nõ reuera undique ſimiles ſunt: ſed in partes alterius naturæ diuidi poſſunt; ut uenæ, & arteriæ, quæ ex fibris, membranis, ſeu tunicis conſtant. ideoq; & Galenus eas è numero ſimilarium: aliàs, ut in lib. de inæqualibus temperaturis, ſubmouet: aliàs in eo collocat. etſi autem neceſſe eſt ſimilarem partem integri ſubſtantiam retinere: tamen non ſemper propterea appellationem retinet: quæcunque uerò pars in corpore in diuerſas ſpecies diuidi poteſt, ea inſtrumentaria dicitur.

Quid eſt pars inſtrumentaria?

PARS inſtrumentaria Græcis δεύτερα συνθετὰ, ἀνομοιομερῆ, ἑτερογενῆ, καὶ ὀργανικὰ appellantur: quæ ex ſimilari compoſita eſt, & actionem edere poteſt. ſed conſtituunt tamẽ quidam recentiores inter ὀργανικὰ μόρια, inſtrumentarias partes, & organa, differentiam: alij dicunt partem inſtrumentariã inſtrumentum quidem eſſe: ſed non omne inſtrumentum eſſe partem inſtrumentariam. hæc ſanè illis relinquimus: inſtrumẽtum enim, ſeu organum quælibet pars dicitur, quæ perfectam actionem edere poteſt. atque ita uenæ, arteriæ, nerui, tum inſtrumenta, tum partes animalis ſunt ut Galen. 1. Meth. affirmat. & primo de diffe. morb.

discrimen ponit inter instrumenta prima, & secunda: uena enim instrumentum primum, est dignius secundo. pars uerò instrumentalis simplici non opponitur: ut tribus rationibus adductis probat doctiss. Fernelius. sed de his disputare non multum refert.

Lib° 2° physiolog: c. 2°:

Recita partes instrumentales.

HOC si uelim; totius corporis partes enumerandæ essent: sed petantur appellationes ex anatomicis libellis. nunc hoc tantum monebo uniuersum corpus animæ instrumentum esse, & distingui in caput, thoracem seu pectus, uentrem, & artus: caput rursus in faciem, frontem, tempora, oculos, aures, nasum, atque alia: thoracem in pectus, latera, atque in his cor, & pulmones continentur: uenter in abdomen, & subdita: ut uiscera, stomachum, intestina, renes, uesicã &c. artus in crura, brachia, humeros, cubitus, manus: hæc rursus in alia; ut in musculos: item manus in digitos, donec ad partes simplices perueniatur: ut cum digitum, in cutem, carnem, uenas arterias, neruos, tendines, uincula, seu ligamenta, cartilaginem, membranas, & ossa diuidimus. atque hæ sunt in corpore similares partes uerè sic appellatæ, nempe decem.

Corporis diuisio:

Artus:

Similares partes uerè sic appellatæ: et sut. x.

Suntne spiritus lac, semen, sanguis, & reliqui tres humores: videlicet pituita, bilis flaua, & melancholicus succus partibus similaribus annumerandæ?

DOCTISSSIMO Fernelio, atque Montano non rectè

Hipp^s aut corpus humanũ ex his partib. constare asserit, membris solidis, humoribus, et spiritibus, Gal^s aut dica numeras partes corporis, no noiat ... spi

rectè uidetur partes dici: nam hæc continentur in humano corpore, & poſſunt ex eo diffluere, ac rurſum reſtitui. pars uerò dicitur ea, quæ toti corpori communi uita coniuncta eſt, nec ab eo diffluit, aut in corporis nutrimentum tranſit: ac uſum, et functionem, ſeu actionem certam in corpore habet. ideoq; neque humores concreti intus: uel foris, ex quibus tumores fiunt; ut uerrucæ corporis partes ſunt. ſic nec pili, nec ungues: quia non ita coniuncti ſunt, ut communi uita totius fruantur. ſic nec adeps, qui eſt pars pinguior ſanguinis, & membranis inhæret tanquam oleum, atque earum natiua frigiditate, atque denſitate concreſcit: multò minus excrementa, & ſuperflui humores, corporis ſunt partes. de his autem prolixè diſputare ſuperuacaneum uidetur: nam Galenus noſter. 1. methodi, partem eſſe definit, quæ complet locum, atque integrat. nec odioſè pugnandum cenſet; ſi quis partem particulam, aut particularē partem appellandā putet. PARS VERE

Quid de cerebro, & ſpinæ medulla cenſes?

CEREBRVM, & ſpinæ medulla uerè ſunt partes ex ſemine generatæ. item, ut muſculorum caro ex ſanguine, ac non modò uitam; ſed & uſum inſignem habent. ſimilares autem partes minus propriè dicuntur; ſicut nec muſculorum caro, quæ fibris, & membranis conſtat.

Qui ſunt partium uſus, & actiones?

SINGVLARVM partium uſum, ac actiones, ſeu

fun-

functiones recitare res est longi temporis, & multæ operæ: nec hoc facere sinit compendij ratio. hoc tamē obseruandum est partium corporis alias esse principes; uidelicet, cerebrum, cor, iecur; quia hæ facultatum, seu potentiarum sedes sunt. his & testes enumerant, quòd eis insit generatrix facultas, & seruiant conseruationi speciei. aliæ sunt auxiliares, seu ministrantes principibus, & ab his deriuantur: ideò ijs impeditis, & laborantibus, principes quoque afficiuntur; ut nerui, arteriæ, & uenæ. Nam per neruos defertur à cerebro in reliqua membra animalis facultas, & fit sensus, atque motus. per arterias à corde uitalis transfertur: unde corpora spiritu uitali incalescunt. per uenas ab hepate, ueluti p canales sanguis in corpus deducitur. p uasa seminaria semē à testibus ex præcipuis partibus corporis deductū in uterū defertur. aliæ sunt gubernātes sese: quæ tamē à principibus uim mutuantur; ut uentriculus, intestina, splen, renes. uentriculus enim sua ui chylum efficit: sed à iecore uim nutriēdi: à corde uitalem calorem, à cerebro sentiendi facultatem sumit: ita et reliquæ. aliæ proprias facultates obtinent; ut os producendi oßis: caro carnis. In omni autem parte primò essentiam, deinde actionem, tertiò societatem, quam cum proximis habet, cognoscēdā esse monet Galen. noster primo de locis affectis.

DE TEMPERAMENTIS.

PRIMVM hoc tenendum est, differre mixtionē à tem-

Temperamentum non est mistio, sed mistionis ratio:

à temperamento: nam temperamentum non est mixtio: sed ipsa mistionis ratio, & cõcordia quædam, qua elementorum non solũ qualitates: sed substantiæ in mixto conueniunt, & consensu, atque concentu quasi suo temperamento efficiunt. nõ igitur elementa ipsa, neque illorum mixtio temperamentum dicitur; sed conuenientia, proportio, harmonia, seu æqualitas, & mistionis ratio.

Temperamentum quomodo à mistione differat:

TEMPERAMENTUM:

Quid est temperamentum?

EST conueniens è quatuor elementis, seu calido frigido, humido, & sicco mistio, seu potius ipsius mixtionis ratio, & analogia, conuenientiam, & æqualitatatem quandam efficiens. Barbari complexionem uocãt quia fit elementorum complexus quidam, & mutuus consensus prouenieus ex actione, & paßione primarũ qualitatum ita, ut ipsæ partes elementorum redigantur in minima, & perfectißimè commisceantur, ac consensum efficiant.

Quot sunt temperamentorum differentiæ?


CRASIS, seu temperamentum habet unam normã, uel regulam; uidelicet εὔκρατον, seu temperatum; cum scilicet, calidum, humidum, frigidum, & siccum æquali temperie, in unum coeuntia propriè dictum temperamentum efficiunt. quæ autem ab hac temperie discedũt, ea, etsi temperamenti appellationem retinent; sunt tamen intemperata. necesse uerò est ubi temperatum, seu εὔκρατον non reperitur; ut uel una qualitatum excel-

lat,

lat, uel summum duæ. itaque quatuor erunt simplices temperaturæ; uidelicet calida, frigida, humida, & sicca: & totidem compositæ, quæ ex duorum simplicium exuberantia prouenient; uidelicet calida, & humida: calida, & sicca. atque ex his manifestum est nouem esse temperamentorum differentias, nec plures posse constitui: nam siue in conuentu calidi, & sicci fit paritas, siue alia qualitas aliam superet; non tamen nouã differentiam constituunt. quò autem primarum qualitatum in mistione maior est æqualitas; eò firmius, & durabilius temperamentum efficiunt: quò uehementius inter se discrepant, atque δυσκρασία maior est; eò infirmius reddunt. hinc duo obseruanda: primum in ipsa εὐκρασία satis amplam esse latitudinem: deinde tum morbum, tum sanitatem ex harum consideratione diiudicari. id quod Gal. 1. lib. de tuenda sanitate docet, nec tantum in actionis læsione consistere.

Temperamentu latitudinem habet: —

GALENI TABVLA.



Doce me de Aequalitate.

AEQVALE *propriè id dicitur, in quo elementorum, ſeu contrariorum, æqua prorſus eſt portio. hoc Galenus cogitatione potius, quàm reipſa exiſtere affirmat. uocant autem medici* temperatum ad pondus; *cũ*

ſcilicet

scilicet non plus de calido adest, quàm de frigido: non plus de humido, quàm de sicco: sed æqua planè est proportio. deinde temperatum, seu σύμμετρον dicitur, nō quidem simpliciter; sed cum in animantium, aut stirpium genere, uel specie, ea est mediocritas, quæ conseruationi animantis, uel stirpis naturæ conuenit. hoc temperamentum iustitiæ, seu æquale ad iustitiam appellant: alia enim est temperatura conueniens homini: alia leoni: alia equo: alia pomo. sic homo optimè secundum speciem temperatus optimas edit actiones: sic pomus secundū suam speciem tēperata, optima fert poma.

Temperamentu iustitiæ,

Estne admittendum temperatum ad pondus?

ARABES non admittunt: Galenus uerò ne momento quidem durare ait. posse concedi quidam probant; sed hæc ad tyrones non pertinent. reuera & absolutè loquendo non admittendum est. quò ad sensum autem, hoc est, medicè loquendo, aliquem locū habere potest.

Cum quæritur, cuius temperamenti sit homo, leo; & quid respondendum?

RESPONDENDVM est πρός τι non absolutè: nam homo calidus, & humidus dicitur respectu temperati. sic leo potest dici frigidus respectu calidioris leonis. sic herba dicitur calida, uel frigida respectu corporis, cui applicatur. sed, ne quis in respondendo aberrare posit; sciendum est, calidum, frigidum, humidum, & siccum duobus modis dici, absolutè uidelicet de cor-

Herba dr cal. ut friq. respu corporis cui applicatur:

de corporibus ſimplicibus, hoc eſt, de quatuor elemẽtis: & per exceſſum: atque rurſum ſimpliciter, uel nulla facta collatione, ſeu relatione. ſed conſiderata tota natura, & ſubſtantia, ut cum calidum dicimus, in quo eminet caliditas. ſecundò per relationes, uidelicet ad temperatum eiuſdem generis; ut leonis ad hominem: cenſetur enim homo omnium animalium temperatiß. uel ad σύμμετρον eiuſdem ſpeciei; ut ſi puer, uel ſenex cum iuuene conferantur: uel ſi indiuidua inter ſe conferātur; ut ſi Gotfridus reſpectu Petri, uel Ioannis dicatur calidus, uel frigidus.

calid. frig. hum. siccu simplr, ad p excessu dr.

Quis eſt index temperamentorum?

QVOD eſt calidum, frigidum, humidum, & ſiccum ἐνεργείᾳ. ſ. actu, ſeu reipſa, id tactum percipitur. ideò tactus temperamenti index eſt. cæterùm instrumentum tactus in homine cutis eſt, ea præſertim quæ in manu, modò talis ſit, qualem natura confirmauit, nec ab externis cauſis læſa. hæc itaque calidum, frigidũq; diſcernit. in humidi autem, & ſicci obſeruatione ſimilis ratio adhibetur: ſiquidem quod ſiccum eſt, durum id quidem eſſe conſueuit: non tamen omne durum ſiccum; niſi ſit calidum: nam & frigore concreta dura ſunt: itidem ea, quæ tendi poſſunt. ſic humidum quidem non ſtatim molle dicitur; ſiquidem à uehementi calore ſit fuſum. proinde quo pacto humidum, & ſiccum in calore, & frigore ſeſe habeant, ratione diſcernendum eſt. & paulò poſt notas temperamentorum oſtendemus.

instrumentum tactus ē cutis

Siccū, durū ē

Nonne

Nonne ſenſu omnes partes interioris corporis viui calent? erunt igitur omnes calidæ.

VIVENTIS *corporis, ſeu eius partis integri temperamenti conſtitutio, conſiſtit in temperie elementorum, & ſpiritus, ſeu caloris inſiti. eſt autem alius calor, qui infuſus dicitur à corde; uel aduentitius ex uaporibus, qui ſimilitudine quadam reſpondet calori ignis: uel uini meracioris, à quo corpus poteſt incaleſcere: aut aromatum. hic autem calor infuſus, atque aduentitius, cum ad abſolutionem ſubſtantiæ nõ faciat; in notione temperamenti non comprehenditur, nec, dũ hoc calet corpus, uel membra, ex eius acceſſu calida fiunt: ſuo temperamento calida eſſe cenſentur. ac propterea ſolus tactus temperamenti interiorum partium non eſt index. ſed ratio quoque, quæ conſtitutionem, & ſtructuram ſubſtantiæ conſiderat, adhibenda eſt.*

calor Insitus
Cal: Infusus

Doce me de ſingularum partium humani corporis temperatura.

PARTIVM *humani corporis temperamenta nõ ſolum ſenſus iudicio; uerum ſubſtantiæ, & compoſitionis conſideratione noſcuntur. oportet autem, cum de partium temperamento fit iudicium; ex uniuerſis corporis partibus ſumere unam: eamq; mediam ſtatuere, à qua reliquæ partes decedant. ea uerò pars non non ſolum tactus iudicio; ſed ſubſtantiæ, & compoſitionis etiam ratione ſententia omnium Medicorum cutis cenſetur: eſt enim cutis ſubſtantia, caro mollis, &*

CVTIS

neruus

neruus durus. ideoq; medium inter humidum, & siccum obtinet. deinde tactus ipse neque caloris, neque frigoris; modò rectè ea sese habeat, in ea excessum percipit. quare iure optimo medium locum obtinet, & temperatißima pars corporis dicitur; ut in tabella à Montano facta uidere est. cæterum illud monendum est interdum factum in calido quoque, & frigido aberrare: sæpe enim id tactu calidum est, quod substantia frigidum: non rarò per accidens frigida sunt calida; ut cor tactum est calidißimum in homine: substantia autem eius simplici carne frigidior est; quia panniculis, & fibris multis constat, quæ sunt partes frigidæ. sic uenæ; quia spiritu, & sanguine incalescunt, calidæ, cum earum substantia; quia exanguis, frigida sit. sed sunt tamen quædam notæ; ut partes, quæ multum spiritus, & sanguinis continent, calidæ plerunque: quæ ijs destituuntur, frigidæ. sic molles, & pingues humidæ: duræ, siccæ. hæc quidem non tàm ad obseruationem temperamenti, quàm medicamenti applicationem conducunt: conueniens enim est, ut medicamenta ad singularum partium temperiem accommodentur. sed de his aliàs. Nunc tabulam, in qua singularum partium temperaturam, & quasi gradus in conspectum ponemus.

COR.

VENÆ:

MONTANI TABVLA.

SICCA
Pili
Oſſa
Cartilago,
Ligamentum
Chordæ
Panniculus
Arteria
Vena
Nerui motus
Cor
Nerui ſenſus
CVTIS
Muſculi
Renes
Hepar
Pulmo
Caro teſtium
Nucha
Cerebrum
Adeps
Pinguedo, ſanguis
Phlegma
HVMIDA.

FRIGIDA
Pinguedo
Adeps
Cerebrum
Spinalis medulla
Panniculus
Ligamentum
cartilago
Oſſa
Pili
Phlegma.

CALIDA.
Cor
Spiritus
Sanguis
Hepar, Caro
Muſculi
Splen
Renes
Tunicæ Arteriarum Venarum.

ALIA TABVLA.

CALIDA.
spiritus
Cor
sanguis
Caro
Iecur
Lien
Renes
CVTIS
Adeps
Pinguedo
Cerebrum
spinæ medulla
Nerui
Vena
Arteria
Membrana
Tendo
Ligamentum
Os
Cartilago
FRIGIDA

HVMIDA
Cor
Renes
Hepar
Lien
Caro qualis in musculis
Pulmo
spinæ medulla
Cerebrum
Ossium medulla, Adeps
Pituita
sanguis

SICCA
Nerui
Venæ
Arteriæ
Membranæ
Tendo
Ligamentum
Cartilago

Quomodo de vniuerso hominis temperamento iudicandum?

AVDIVISTI *singulas partes totius corporis proprium obtinere temperamentum, neque mutatis illis effici ex his unum quoddam: sed calidas partes frigidis, humidas siccis, ad mutuum consensum, æqualitatemq; conseruationi totius corporis necessariam conspirare. hinc autem cutem ita affici, ut eò prorsus sit temperamento, quò est uniuersum. itaque solius cutis contactũ,*

nisi ab externis causis facta fuerit in eam mutatio; licet de temperamento constituere. sed, ut excessus, atq; defectus obseruari poßit; temperatum hominem potius cogitatione, quàm reipsa (siquidem ad unguem temperatus uix momentum sic existit) statuimus. atque ab eo alios caliditate, alios frigiditate iam recedere iudicamus.

Quæ sunt optimæ temperaturæ notę?

CORPVS *optimè temperatum, neque medio modo se habet, neque densum, neque rarum, neque durum, neque molle, neque hirsutum, neque glabrum est: sanum existit, ac externas iniurias fert, optimis, & temperatißimis moribus, & reliquis actionibus est præditum.*

Quæ sunt notæ in genere, quibus de qualibet temperatura fit iudicium?

PRIMA *nota est tactus: deinde substantiæ, & corporis habitus: qui enim carne abundant, calidiores sunt ijs qui adipe; obesitas enim, quæ ab adipe ex frigore, est plurima. caro multa caloris, & humoris index est. tertia operationes; nam integræ actiones optimæ, & firmæ temperaturæ notæ sunt. si uerò deficiat; celeritas motus, caliditatem: segnities frigus indicat. humiditas autem plerumque hebetat actiones, sicut siccitas acuit. quarta ætas: hæc enim ex ineuitabili neceßitate aduenit, & mutat corpus. quinta, anni tempus, regio, seu constitutio aeris, in quo uiuimus: ut Germani frigidiores, & humidiores sunt Aethiopibus.*

bus. singulæ autem regiones suam habent temperiem propriam, in qua suum quoque ἄκρατον reperitur. addunt & colores: sed ij humores rectius indicant. temperamenti autem diiudicatio uix potest esse certa, nisi parentum natura sit nota: quam plerumque genitam sequitur. porrò hîc cauendum est, ne ex humorum abundantia temperamentum æstimemus: nam multi sunt candidi, & molles, & tactu frigidi, qui plurimum bilis eijciunt. quidam frigidum, & siccum temperamentum habent: qui tamen non multum melancholia abundant. sic senes, quorum temperamentum est frigidum, & siccum, pituitosi sunt. denique uictus ratio statim quidem humores; sed non temperamenta uariat, neque ab humoribus temperamentorum differentiæ, uel appellationes constituendæ.

Difficile enim est temperamenta ad unguem noscere quod si sciret, se Aesculapio parem crederet. 3° Methodi.

Ab humoribus non sunt differentiae, ut appellationes temperamentorum:

Permanetne temperamentum, an verò mutationi est obnoxium?

TEMPERAMENTVM *est constans, & firma habitudo: ideoq; primum, & ingenitum temperamentum nunquam prorsus mutatur: nam in id siue ætatum, siue uictus ratione, siue aeris, seu aliarum causarum incursu fiat mutatio; semper tamẽ animal propẽsum, atq; procliue est. &* Hipp. *dicit*: In morbis minus periclitari, quorum naturæ morbus conuenit, aut ætati, aut habitui, aut tempori &c. *manifestè indicans mutari aliquo modo temperaturam ætate, uictus ratione &c. deniq; (exempli causa) cum calidi calidis morbis tentantur,*

2° aph. 34

minus periclitari, quàm si frigidi: siquidem depulsis causis calorem efficientibus facilius ad temperamentum congenitum redeunt; sic senes in morbis frigidis minus periclitari, quàm iuuenes &c.

DE AETATVM TEMPERAMENTIS, atque vt ætas temperamentum immutet.

NON solum ætas, quæ uarias mutationes temperamentis, & corporibus affert: uerùm & aer, alimenta, exercitia, animi motus, excrementa suppressa, humores aucti, uel diminuti, uariè afficiunt corpus ita, ut nostri non sit una figura status. sed, quò melior constitutio corporis, & temperatura est; eò rectius, & facilius has omnes externas causas tolerat, & sustinet: Quò illæ infirmior, atque maior δυσκρασία in corpore, eò difficilius. inde senectutem quoque corporibus ante annos aduenire uidemus. sed de ætatibus nunc agamus. de reliquis aliàs.

AETAS, siue αἰών est uitæ spacium, seu curriculum, à primo ortu usque ad extremum spiritum: in quo manifestè corporis constitutio eam mutationem sustinet, quam nulla ars, nulla industria reprimere potest.

Quid est discrimen ætatum?

NEC proceritas, nec color, nec pili nostri decernunt ætates; sed ipsius temperamenti alteratio, quæ fit non ab externis causis; ut aeris, cœliq; constitutione, uictus ratione: sed ab interiore, & insita corporibus

causa

cauſa interitus, quæ ab humido, quo maxime omne animal in ortu abundat, ad extremam ſiccitatem progreditur, donec calor cum ſuo pabulo extinguatur, & mors ſubſequatur: ut deinceps audiemus.

Quot ſunt ætatum differentiæ?

ALII *quatuor, alij quinque, alij ſex differentias ponunt.* Gal. iiij. de *ſalubri uictus ratione, quatuor recenſet: ſed nos eos ſequemur, qui quinque ætatum differentias ponunt. hoc autem primum tenendum eſt. Quodcunque temperamentum quis à prima conſtitutione ſit nactus, id ineunte ætate calidum, & humidum: florente calidius, & ſiccius: matura, collatum ad ſe, temperatum dici: atque hoc modo ab ætate, quæ nos neceſſariò comitatur mutari. ut qui à primo ortu calidiores, & ſicciores ſunt, perpetuò reſpectu alterius frigidioris, uel humidioris, tales permaneant: ſed tamen ſui reſpectu ſicciores, & frigidiores fiant. ideoq; temperamentum, quod à natura procedit, ſimpliciter quidem ita dicitur. quod uerò ab ætate, relatiuè: neque enim ſimpliciter temperatus puer, aut ſenex dici poteſt.*

Recenſe igitur ordines, ſeu differentias?

PRIMA *ætas illa eſt, in qua quidem augetur caliditas: ſed, cum quiſque humidiſs. naſcatur: humidũ paulatim decreſcit, & ad aliquem ſiccitatis gradum tendit. in hac ſunt primò infantes uſque ad tertium,*

quartumúe annum νεογενεῖς, & βρέφη : deinde durat pueritia uſque ad decimum quartum annum . ſequitur hanc pubertas. hæc initium habet ab anno XV, & uſq; ad XVIII. prouehitur . hinc ætas μειρακίων . ſ. adole= ſcentum ſequitur : quæ & πάγυς complectitur uſque ad XXV. annum durat . ſecunda uitæ ætas, quæ uenu= ſta, agilis, & ferox eſt, calida quidem, modiceq; hu= mida; ſed reſpectu pueritiæ calida quaſi, & ſicca exi= ſtit . hæc eſt Græcis ἐξέφηβων, ſiue νεανίσκων : latinè iuuentus dicitur : duratq; ad annum uſque XXXV. uel quadrageſimum . atque in hac eſt ἀκμὴ, id eſt, uigor, & flos ætatis . ideò & ἀκμαζόντων appellatur. tertia ætas καθεστηκεῖα dicitur ab Hipp. ſ. conſtans, & ſubſi ſtens, ſeu matura, in hac ſi unquam aliàs ; corpus reſpe ctu præcedentis, & inſequentis ætatis eſt temperatũ, & ſummum ad annum quinquageſimũ durat. hos Græ ci μεσήλικας, quaſi medium obtinentes : & hanc æta= tem ἀνδρῶν ἡλικίαν, ſeu ἀνδρίαν uocant . quarta ætas eſt eorum, quos profectæ ætatis latini appellant, ſeu ætatem ingraueſcentem, uel deuexam : Græcè παρακ- μαστικὴ, ſeu περάκμη dicitur. in hac iam frigidum, ſic= cumq; corpus efficitur, nec indiget humidi reſtitutio= ne multa : quia non multum diſſoluitur, & corpus iam excrementitio humido abundare incipit . durat au= tem ad annum quintum, & ſexageſimum . quarè et iſti ὠμογέροντες dicuntur, hoc eſt, qui uiridi ſenectute ſunt præditi . ſed omninò ætates certis annis deſcribi nõ poſ ſunt in ſingulis indiuiduis, neque etiam nominibus in

tanta sæculi nostri miseria, & corporum corruptione. quinta est γερόντων, seu πρεσβυτῶν. s. senum: licet γέροντες rectè illi, qui in quarta ætate sunt, appellantur: qui uerò planè sunt decrepiti πέμπελοι. s. ad manes mittendi, seu silicernia nominant. in hac subinde frigidiores, & sicciores fiunt homines, donec mors subsequatur: senum enim temperies frigidiss. et sicciss. est: ut refert Galen. 2. de temperamentis. nec est, quòd quis senes ideò humidos appellet; quia excrementis humidis abundant: siquidem ipsas solidas partes, & membra in senibus licciora fieri dicimus: capitates autem humiditate saperuacanea impleri. hæc de ætatibus. quia uerò ex anni temporibus itidem, ut ex ætate, licet non ad eundem modum, calor innatus mutatur: atque inde in temperamento quoque fit alteratio: proinde de quatuor anni temporibus agendum est.

Senes.

decrepiti:

DE TEMPERAMENTIS quatuor anni temporum.

QVATVOR sunt anni tempora: Ver quidem temperatum: æstas calida, & sicca: Autumnus frigidus, & siccus: uerùm non perpetuò: Hyems frigida, & humida: quia frigiditas superat caliditatem ueris: & humiditas siccitatem autumni. huc etiam singularum regionum temperatura referatur.

Quomo-

Quomodo dicis ver temperatum, cum Hipp. & Medici dicant calidum, & humidum, quæ exceſſum indicant?

HOC *à medicis ideò factum eſt: quia quatuor anni temporibus quatuor temperamentorum coniunctiones applicare ſtuduerunt: rectè, ſecusúe nunc non inquiremus.*

Cur igitur in vere multi ſunt morbi? ſi eſſet temperatum; foret & ſaluberrimum?

HOC *fit non ueris uitio: quòd cum uita conſiſtat in calido, & humido, reſpectu humani corporis, non ſolum temperatum; ſed etiam naturæ amicum eſt. ſed quia humores coaceruati, & retenti ſunt per hyemem intra corpus, & ineunte uere ex profundo corporis pelluntur: ideoq; ſi quis tum ægrotat; non tempori Verno: ſed prauis humoribus per hyemem collectis aſcribendum eſt: nam & Hipp. dicit Ver* ἥκιςα θανατώδες *.ſ. morbis, qui minimè mortem afferunt obnoxium. contrà uerò de autumno affirmat; cum is in calore, & frigore maximè inæqualis ſit.*

Cur dixiſti autumnum non eſſe perpetuò frigidum, & ſiccum?

PROPTER *inæqualitatem: quia in eo modò frigus, modò calor eodem etiam die intenditur: ſic neque in humido, & ſicco æqualitatem retinet. ſed hæc de quatuor anni temporibus ſatis: quæ hòc ſunt inſalubriora*

briora, & magis temperamentorum mutationi deseruiunt, quò à suo temperamento longius recedunt: aeris enim mutatione promptè afficiuntur spiritus: deinde humores: postremò etiam solidæ partes. atque ex generali de quatuor anni temporibus doctrina de particularibus facile est iudicium.

Rectene temperamẽtum sanguineum, biliosum, pituitosum, aut melancholicum dicitur?

GALENVM, atque recentiores etiam medicos, uiros eruditione, & usu artis excellentes sic loqui uidemus: humores enim tanquam elementa corporis considerát. uerùm doctiss. Fernelius hoc improbat, & dicit temperamenti rationem ad elementa; non ad humores referendam. sunt autem ista humorũ nomina. itaq; biliosum quidem hominem eum, in quo est copia bilis: sed non bilioso temperamento præditum rectè dici: nequaquam enim in humore, qui etiam sæpe præter naturam est, temperamentum collocandum: sed in primarum qualitatum conuenientia ad conseruationem generis, speciei, indiuidui, aut partis eius necessaria. imò & humores proprias temperaturas habent.

DE HVMORIBVS.

QVICQVID in corpore fluidum continetur, illud humor, seu ὑγρὸν dicitur: siue alimentũ præstet; ut chylus, uel chymus: siue succus ex hoc confectus; ut

sanguis

sanguis, pituita, bilis, & melancholicus succus: siue aliquis horum humorum à calore præternaturali, uel admixtione alterius humoris præternaturalis, atque excrementitij factus, siue excrementum; ut mucus, sputum, urina, sudor: siue utile excrementum in corpore; ut lac, semen, uel humores contenti in uasis certis, siue humor secundarius: qui iam in nutrimentum corporis cessurus est: siue humores in oculis, aut in alijs partibus, de quibus postea dicemus. nunc autem de humoribus sic propriè dictis agendum est.

Quæ est humorum generatio?

QVAE *sit humorum generatio, optimè docebitur; cum de nutritione agemus. sed, quia ad alterationem temperamentorum humores non parum faciunt; hoc quoque in loco doctrina de humoribus instituenda est. alimentum intra corpus sumptum diuersis constat partibus, tenuibus, aqueis, & craßis: &, cum percoquitur in uentriculo; efficitur chylus, seu cremor hic per pylorum in ieiunum transmissus, & à uenis mesaraicis in hepar uectus* χύμυ. *s. succi appellationem obtinet. in hoc succo, quemadmodum in ipso alimento, et chylo diuersæ sunt partes, quædam craßiores: quædã tenuiores. chymus uerò ui insita hepati in sanguinem, seu massam sanguineam conuertitur, atque in ea massa quatuor humores naturales cum humoribus ipsis, quos deinceps excrementum utile dicemus, sunt, & appellantur sanguis, pituita, bilis, succus melancholicus: ac simul*

chylus.
chymus.
Humores natl̃es Excrem̃ta utilia sũt:

Ex chylo, fit p° chymus, q deinde in massã sanguineã uertit':

simul uenas omnes, defæcati tamen prius in corpore sano, pertranseunt. horum omnium naturalium humorum causa efficiens intrinseca est calor naturalis temperatus ad iustitiam, ut uocant: sicut præternaturalium calor præternaturalis. efficientia autem extrinseca sunt aer, cibus, potus, somnus, uigiliæ, affectiones animi, si non modum excesserint, & temperatè se habuerint. materialis extrinseca est omne genus alimentorum temperatas qualitates obtinens, & nutritioni commodum. intrinsecum materiale est chymus è chylo extractus. finalis; ut massa sanguinea conuersa in humorem alimentarium nutriatur corpus, & ex eius parte subtiliori generentur spiritus. in quibus autem corporibus humores isti naturales sunt in debita quantitate, ea sana dicuntur. deq; illis intelligendus Aphorismus, Corpora sana difficillimè ferũt mutationes; quia eiusdem substantiæ partes unitæ non possunt citra uiolentiam diuelli. cum uerò unius quantitas nimium augetur, nisi remoueatur, & analogia humorum conseruetur; febres generantur, putrescente scilicet eo humore, qui auctus est, obstrictis iam uijs, per quas natura eum secernebat. sed de his aliàs.

Ca humorũ naliũ ē, calor nalis temparatus ad iustitiã:

medicationes

Doce me de sanguine?

SANGVINIS *appellatio dupliciter accipitur apud medicos: aut pro tota massa generata simul, & semel ab eodem calore, scilicet naturali in hepate, atq; transmissa in uenas; & de hoc intelligimus medicos, cũ affirmant*

affirmant ſolo ſanguine nutriri corpus: aut pro humore ſingulari diſtincto à reliquis tribus, qui, etſi in uenis, & hepate non exquiſitus, & ab alijs humoribus ſubſtantia ſeparatus reperiatur: tamen diſtinguendus eſt à reliquis humoribus: ut Gal. 8. de decretis Hipp. & Platonis, & in ij. Aphor. com. iiij. docet. huius cauſæ efficientes extrinſecæ ſunt cibus, potus, aer, animi motus, ſomnus, & uigilia, inanitio & repletio, naturaliter ſe habentes. nec non cum excedunt, & deficiunt, non naturalem humorem; ſed præternaturalem generant. efficiens uerò intrinſecum, quemadmodum reliquorum humorum omnium eſt calor hepatis temperatus: in ſolo enim hepate humores naturales generãtur, & ratione loci, generationis, ac cauſæ efficientis præcipuè à non naturalibus, atque præternaturalibus differunt. cauſæ materiales & ipſæ ſunt extrinſecæ; ut alimenta, quæ in qualitate, quantitate, & ſubſtantia oportet eſſe temperata. intrinſeca ipſe chylus, uel chymus. forma cuiuslibet ſucci, uel humoris, eſt ipſa humoris ſubſtantia, qua humor eſt talis: non accidentia; ut dulcedo in ſanguine quia temperatus: uel rubedo quam à carne hepatis contrahit: aut calor, quem habet à corde. finalis; ut nutriantur, & conſeruentur omnes partes carnoſæ, atque optimi, & temperatiſsimi ſpiritus procreentur. hinc ſanguis uerè theſaurus uitæ à medicis dicitur: quem natura ita cuſtodit, ut facilius reliquis omnibus humoribus patiatur uitium obuenire, eosq; putreſcere, quàm ipſum ſanguinem.

Humores naturales i[n] solo jecore generantur:

DE

DE PITVITA.

VT ex chylo cocto in uentriculo, in hepate deinceps generatur massa sanguinea continens quatuor humores: ita ex cibis pituitosis generatur quædam species pituitæ in stomacho non naturalis; sed media inter naturalem, & præternaturalem pituitam. appello autem non naturalem hanc pituitam; quia nec præternaturalis est, nec omninò naturalis: sed in potentia saltem. hoc modo cibus, somnus &c. dicuntur res non naturales à medicis; quia possunt se secundum natura, & præternaturam habere. ex hac pituita, quæ, ut dixi, generatur in stomacho, fit massa sanguinea, quemadmodum ex chylo, cum defertur in hepar: atque continet quatuor humores naturales.

Pituita genita in stomacho, media e int' natum, et pter nam: et no nalis dr:

Quid est pituita naturalis?

EST humor massæ sanguineæ mixtus, à calore naturali hepatis minus elaboratus, atque subcrudus, naturaliter membra humidiora nutriens. etsi autem ad eam temperiem, ad quam sanguis, non deuenit: tamen eandem causam intrinsecam efficientem habet, uidelicet calorem naturalem: materiam, frigidiores, & humidiores, seu crudiores partes chyli suppeditant: finalis causa est; ut humidas, & frigidas partes corporis alat, & ipsa in sanguinem coctione concedat: id quod in neutra bile, contingit. habet etiam sua accidentia; uideli-

ca effectrix. Malis. Finalis.

Cur aer, cibus, et potus, et reliquæ res no nales, ita à medicis appellentur

uidelicet quod eſt dulcis. à contrarijs cauſis generantur in uenis duæ pituitæ ſpecies præternaturales, & quatuor ſpecies extra uenas; uidelicet pituitæ excrementitiæ. porrò pituita, ut in omnes humores conuerti poteſt; ita præternaturalis omnium affectiones acquirit. ut oſtendemus.

Explica duas ſpecies pituitæ, ſeu phlegmatis præternaturalis in uenis.

VNA *eſt acida, quæ præter coctionem in uentriculo factam, in hepate non eſt alterata. ideò propter paucum calorem promptè aceſcit, & prorſus cruda eſt, & tenax, multorum morborum cauſa. huius efficientes extrinſecæ cauſæ ſunt crapula, ciborum uarietas, & præſertim crudorum ocium, ſeu intermiſsio exercitationis &c. intrinſeca cauſa frigiditas hepatis: ſæpe etiam errata primæ coctionis. altera eſt pituita ſalſa. huius efficiens intrinſecum eſt calor præternaturalis: fit enim ex dulci pituita putreſcente, uel interdum ex ſeroſi humoris admixtione, etiam ſecundum Auicen. amari; licet aliter uideatur Manardo. cauſæ extrinſecæ hæ ſunt, quæ calorem augent, & putredinem adducunt: uel ſeroſum humorem adaugent, & acriorem reddunt.*

Recita quatuor pituitæ præternaturalis, quæ eſt extra venas, differentias.

VNA *eſt tenuis, quæ plerumque è cerebro per nares.*

Pituita acida

Salsa

Pituita tenuis

nares, & os destillat. hæc à uaporibus resolutis, & expressis è cerebro oritur, atque destillationum, et fluxionum causa est. altera est muco similis. hanc calor ob lentorem, quo prædita est, cogit: ea per os & nares sæpe excernitur. deinde quædam ualde crassa, & frigida: hæc à Praxagora; ut testatur Galenus, uitrea dicta est: quia colorē uitri habet. generatur autem in frigidioribus corporis partibus, & locis: atque in ijs grauissimas obstructiones, & tensiones facit. cum uerò in calida loca desertur uehementissimis cruciatibus affligit. hæc, cum planè concrescit; fit ex ea quarta species pituitæ, uidelicet gypsea, quæ ad extremam duritiem peruenit; & instar gypsi, uel lapidis concreta est: ut in articulis sæpè nodos ex illa generatos uidemus.

Mucosa, Vitrea, Gypsea fit ex uitrea: Extra [illegible] hæc sal

Doce me de tertio humore, videlicet de bile.

BILIS à Græcis χολὴ dicitur: Arabes, & barbari choleram uocant; cum cholera morbi nomen sit. hæc est pars tenuissima, & calidiss. massæ sanguineæ, leuis, saporis acris, & amari ex tenuissima parte chyli, calore hepatis progenerata; ut partes affines nutriat, & tenuitate sua transuectionem sanguinis in totum corpus per uenas adiuuet. naturalis bilis causa efficiens est calor naturalis hepatis. materia est tenuior pars chyli calida & sicca. finalis, ut nutriat tenues partes, qualis est pulmo: deinde ut sanguinem prouehat. item ut eius portio, tanquam excrementum utile, intestinorum uim expultricem excitet. sed non hæc alimentaris, sed alia [illegible] quæ id iam agit, hæc ultimam operationem efficit:

Usus bilis naturalis.

Estne illa bilis, quæ in fellis vesicula, quam κύστιν χοληδόχον appellant, continetur, huic affinis? & itidem naturalis?

Bilis vesiculæ licet sit excrementitia, utilis est:

Est *naturalis; sed non alimentaris: uerùm excrementitia; non tamen inutilis: natura enim separatam hanc à reliqua massa sanguinea in uesiculam istam, quæ hepati adhæret, reponit: ex qua pars eius bilis elabitur in intestina: & excrementum primæ coctionis uidelicet stercus non modò colorat: sed pituitam quoq; superuacaneam sæpè non sine molestia, quæ in intestinis est, deturbat. ipsa tamen bilis excrementitia in sua uesicula immodicè aucta, uel obstructa, morbos, atque incommoda, quemadmodum reliqui humores præternaturales, parit. nam omnes humores præternaturales immodicè aucti morborum causæ sunt* προκαταρκτικαὶ *quidem ante morbi initium, ut* Montano *placuit:* προηγούμεναι *in morbi initio, ut in nostra est methodo. sed ista superstitiosa distinctio necessaria non est. hoc tenendum non tantum humores præternaturales morborum causas esse; uerùm etiam naturales immodicè auctos: quam auctionem in sanguine, id est, massa tota sanguinis, in qua tamen analogia reliquorum humorum est,* Latini Medici *plenitudinem,* Græci πληθώραν *uocant: ut exemplo* Athletarum *in iij.* Aphorismo *ostendit* Hippocrates. *in reliquis uerò humoribus cacochymiam.*

Oes hum. excrementitij immodicè aucti sunt morbor. cã:

Plethora.

Cacochymia.

Quot

Quot sunt bilis præternaturalis species?

QVATVOR: *una, quæ colorem uitellorum ouorum refert: propterea quòd bilis naturalis calore præternaturali assata, & resolutione tenuioris eius humiditatis craßior reddita, facta est præternaturalis, instar uitelli ouorum: unde & uitellina uocatur. hanc Auicenna ex admistione pituitæ, & melancholiæ conflari falsò existimat: & illam choleram minoris famæ: hanc maioris famæ nominat. qui eum secuti sunt medici labyrinthos in doctrina de febribus ex hoc commento construxerunt. altera ex adustione* πρασοειδής, *idest, porracea dicitur: quod colorem porri referat, & plerumq; ex alimentis mali succi; ut sunt porrum, allium, cæpæ generatur. ea, cum à calore intenso magis aduritur; fit* ἰώδης: *quò enim magis uritur, eò maiorem nigredinem contrahit. propterea calore maximè aucto isatidis: illa cæruleum colorem nigricantem contrahit, & cærulea dicitur. ac ad extremum in atram bilem, eamq; peßimam, quæ cancrorum, carbunculorum, & abominandorum morborum materia est, transit. de his Gal. in lib. de atra bile legẽdus, et cognoscẽdus ẽ.*

vitellina sm Gal^m

vitell. Avic.

Porracea.

Restat, vt de melancholico succo me doceas.

RECTE *dicis de succo melancholico; nam hoc nomine quidem bilis atra, cùm est humor naturalis; appellanda est, atque sic à medicis* μέλας χυμος, καὶ μέλαινα χολὴ, *seu atra bilis dicitur. est autem melancholia*

Vsus melancholiæ nalis

Melia nalis: naturalis humor ex craßiore parte alimenti à naturali calore factus: seu est pars fœculenta, uel fex sanguineæ massæ, aut eius sedimentum: quod Græci ὑπόστασιν uocant. habet autem causas tàm efficientes extrinsecas, quàm intrinsecas, ut reliqui humores naturales: item causas materiales. finalis uerò duplex, sicut & reliquorum humorum: altera essendi absolutè: altera benè essendi. essendi absolutè: quia multa membra hoc humore sunt alenda. benè essendi: quia prolapsa eius aliqua parte ad uentriculum, seu potius delata, fames inde excitatur. deinde hoc non solum reliqui humores; uerùm & spiritus firmantur; ne sint nimium fugaces: atque inde melancholia, causa sapientiæ censetur. porrò huic humori, qui in uenis est, ac reliquæ massæ sanguineæ, per totum corpus mixtus is quidem, quem natura, uelut excrementum in lyenem deriuat, non est absimilis: cum & is sit naturalis. sed, quando auctus, atque densatus; uasorum meatus obstruit, & putrescit: ut in febre quartana acidam, & acerbam [acrem] qualitatem contrahit. acidam quidem: quia frigidior euaporante calido ex humido per ebullitionem: acrem; quia partes terrestres adurunte. et sic e factus p ter nam, na natis no e acidus. 4. aph. 21.

Essendi. Bn essendi. FAMIS CA: Quo humor melcus, causa sit qrtane:

Quot sunt differentiæ atræ bilis?

TRES: primò acida, quæ fit propter ebullitionem in humido expirante calido: ut dixi. deinde acris: & ea rursus duplex, uel ab adustione succi melancholici, quem dixi contineri in massa sanguinea: aut reponi in

Acida atra bilis quo fiat:

ni in splenem: uel bilis uitellinæ, unde atra bilis admodum pernitiosa oritur. hæc omnia exulcerat, quæ cõtingit, & erodit: deniq; pernitiosos, & lethales morbos parit; ut est in Aphorismo Hippocratis Dysenteria ab atra bile lethalis est. sunt, qui ex pituita, & ex sanguine adusto atram bilem fieri somniant: uerùm falsò. hoc autem sciendum est, atram bilem planè causas oppositas succo melancholico. s. præternaturales habere: extrinseca enim omnia modum excedunt: intrinseca, seu calor ipse est uehementior naturali. ideoq; causa putredinis. materiale extrinsecum, uidelicet cibi sunt ualidiores, & sicciores, uel putrescibiles, uel extranea qualitate mala infecti. deinde materiale intrinsecũ, uidelicet sanguis est craßior. sequuntur hunc humorem periculosißimi morbi; ut lepra: cum & propter malitiam huius humoris hac nostra ætate uir excellens in arte medica pestilentis febris, et carbunculorum quæ ijs adsunt, causam putredinem huius humoris esse asserit. sed de hoc legendus est, & Galenus ipse, & methodus Montani: quam nostræ therapeuticæ methodo festinata opera libello facto coniunximus. de secundis autem humoribus deinceps agemus; cum quæstio de humido innato tractanda erit.

DE ATRA BILI p adustionem genita:

Morbi insequentes atram bilim:

Quæ est temperaturæ humorum ratio?

EADEM, quæ membrorum: nam sanguis temperatus statuetur ab hoc: ex una parte discedit bilis, quæ est calida, & sicca: ab altera parte melancholicus succus

vr tn ex Gal° posse deduci, ex pituita posse fieri atra bilem: cu 7° aph. c.to 43. uidetur concedere pituita ex putrefactione posse in bilem uerti, qd si ita e, ex ulteriori adustione, eade bilis, fta, uerti pot in melanam: Praterea. xiij. meth. d. omnem humorẽ crassũ, et quodãmo melcũ. [illegible] pitui[illegible]

cus, qui frigidus, & siccus est: tertia pituita, quæ frigida, & humida censetur. quòd autem sanguis interdum à medicæ artis authoribus, calidus, & humidus appellatur, id fit collatione ad alium humorem. sicut etiam calidißimus à Galeno dicitur per accidens; quia calefit à corde. porrò hîc obseruandum humores transmutari, & conuerti alium in alium, præsertim cũ sint in continuo motu, & qualitatibus inter se conueniant; ut sanguis cum flaua bile in caliditate. ideoq́;, ut Galeno placet, ex sanguinis calidioribus, & tenuioribus partibus fit flaua bilis: sed ex omnibus humoribus reciprocè alios fieri non censent medici; siquidem nec pituita ab alio humore gignitur: nec melancholicus succus in bilem flauam transit. quæ uerò humorum sint qualitates secũdæ, uel sensibiles: quem usum in corpore habeant: quas itidem sedes, facile est intuenti medicam doctrinam uidere. cæterùm, quia à sanguine spiritus exprimuntur; hic locus postulat, ut de spiritibus agamus prius recitatis ijs, quæ de calido innato, seu spiritu insito, & humido primogenio scire ἰατρικὰ discenti necessarium.

Humorũ sit transmutatio,

Spũs ex sanguine exprimuntur:

DE SPIRITIBVS, SEV CALIDO innato, & humido primogenio.

OSTENSVM *est ex primorum simplicium corporum, quæ elementa dicuntur, commixtione, cõstitui temperamentorum differentias: & unamquanque corporis*

Tres p(rinci)puæ causæ uitā gubernātes, calor s. innatus, spiritus, ac humidū Primogeniū.

poris partem proprio temperamento præditam. nunc nobis illud addendum aßidere huic calorem innatum, ſpiritus, & humidum primogenium uitæ præcipuas gubernatrices cauſas. unde autem hæc ſint declarabimus. calore omne animatum præditum eſſe ſenſus ipſe teſtatur. & eſt certa, atque conſtans ſententia beneficio caloris innati animal uiuere: alimentum attrahere, atq; conficere: eo nutriri, confirmari, augeri: huius ope procreari, ſenſu affici, & moueri. ac quantò perfectiora hæc ſunt opera, tantò huius caloris uim, et ſubſtantiam in corpore maiorem, & præſtantiorem eſſe.

Temp(er)amento aſſidentia.

CALORIS INNATI MVNERA: quæ uitali, nati, ac aiali Facultati coſeruīt,

Doce me de calore innato.

GALENVS prudenter ſæpe monet non eſſe de nominibus litigandum; ſed rerum ueritatem in arte eo fine quærendam; ut cognitio ſubſeruiat ſanitatis tuitioni: quæ finis artis eſt. hoc præceptum, utinam diligenter & doctores, & diſcipuli tenerent; minus profectò ocioſarum diſputationum haberemus: quibus multi; ut ingenij uim oſtendunt, oblectantur: & ex ſtultis inſanas faciunt, dum doctrinam ſanitatis tradere debebant. accidit igitur, quod ſapienter dixit quidā, ut ignorent neceſſaria, dum non neceſſaria diſcunt. ſed Tyrones illud Galeni teneāt. Quæ potius ad curioſitatem, quàm commoditatem in arte faciunt, citò eſſe relinquenda. nomina, quibus appellatur, uaria ſunt: modò enim ἔμφυτον: modò σύμφυτον: modò ἔκγονον θερμὸν uidelicet innatum, ſeu inſitum calorem dicunt:

SANITATIS TVTELA, Finis ē artis.

caloris innati multa noia

 aliquan-

IGNORARE NECESSARIA, DVM NON NECESSARIA DISCIMVS, TVRPE EST:

aliquandò calorem naturalem: aliquando ἀρχήγονον Hipp. & Galenus appellat: quod primitus generandis adsit. Galenus etiam in semine artificem efficientem statuit: Barbari complexionalem, & complantatum uocant.

Quæ est eius origo?

ETSI Galenus noster, ac plerique Philosophi, in prima rerum elementa omnium causas referant; tamen suis limitibus interdum uix sese continere possunt: id quod in hac quoque disputatione contigit; dum modò diuinum hunc calorem esse. s. à cœlestibus causis in semen propagari, licet id obscurè: interdum prorsus elementarem affirmant. est autem labor plenus difficultatis, & periculi statuere aliquid certi de ijs rebus, de quibus ueterum sententiæ non satis explicatæ extant, nec quicquam ferè dici potest, quod in reprehensionem cadere posse non uideatur. uerùm, ut ut sit, absurda uitare amantem, ueritatis decet.

Absurda uitet amator ueritatis:

Quid ergo statuendum censes?

EXISTIMO ueterum authoritates dextrè accipiendas, tuendas, atque interpretandas esse. insitum hunc calorem, qui in semine continetur. ex permistione elementorum prodire, minimè dubito: uerùm à causis cœlestibus ita contemperari statuo. ut cœlesti calori, non igneo in effectionibus respondeat, & ad eum analogiam habeat.

Calor innatus, etsi ab elementis prodeat, à cœlesti tn contemparatur, ac illi in effectionibus proportione rndet:

Estne

Eſtne hæc veterum ſententia?

EST certè: nam Galenus in libro de tremore, & palpitatione, calorem innatum non aliunde quæſitum, neque genito animali eum ortum; ſed inſitum, & qui ab ipſo ſtatim principio extiterit, affirmat. & com. 5. aphor. 22. ipſam naturam eſſe, & uim conſeruandi, generandi, augendi, & nutriendi ſtatuit: ac in ſumma mediocritate conſiſtere affirmat. 8. de decretis. item de ſalubri diæta, de cauſis pulſuum. in primis uerò in lib. de tabe planè eum ab ignea natura alienum, maximeq; eorum, quæ ille effinxit, incremento, & conſeruationi amicum docet. ſummus autem Ariſtoteles calorem iſtum, quaſi uinculum animæ, & corporis ponit: & corpus, atque diuinum uocat. ſic enim inquit. πάσης μὲν οὖν ψυχῆς δύναμις ἑτέρου σώματος ἔοικε κεκοινωνηκέναι, καὶ θειοτέρου τῶν καλουμένων στοιχείων. hic, dum σῶμα dicit; ab anima diſcerint; cum πρὸς τὴν δύναμιν animæ inſtrumentum eſſe docet. cum uerò θειότερον appellat; cœleſtem uim tribuit: ac deinceps ſeſe explicat, cum inquit, Analogiam eum habere ad ſtellarũ elementum, ſeu proportione huic reſpondere: & perſpicuè affirmat οὔτε πῦρ, οὔτε ἀπὸ πυρὸς ἔχει τὴν ἀρχήν. Quòd autem ab igne non trahat originem, rationem affert; quia ignis nullum animal generat. rectè igitur exiſtimo, quò ad ſuam primam originem poſſe dici elementarem: quò autem ad temperaturam ſuam, & effectiones, cœleſtem. habet enim ad eum analogiã; quia

quia mitis est, uitæ amicißimus, non adurens, non colliquans; sed suauiter conseruans, atque, ut Aristoteles dixit, elemento stellarum proportione respondens: τῶν ἄστρων μερὸ στοιχεῖα summo Aristoteli dici eas uires, quas generationi, & conseruationi rerum cœlestes causæ adhibent, doctißimus & cognitione philosophiæ, atque artis medicæ excellens Fernelius arbitratur.

Laus Fernelij:

Quid est calor ἔμφυτος

GALENVS substantiam aeream cum spiritu calidum innatum, quinto de simplicibus medic. facultatibus uocat. est autem uis in semine, atque sanguine materno uirtute cœlesti contemperata, atque expressa, insidens humido aereo, & solidis partibus corporis communicata: omnis caloris, atque actionum naturalium fons, & origo: atque uegetabilis animæ instrumentum proximum.

CALOR INNATVS QVID:

Declara, atque confirma hanc definitionem.

NECESSE hoc est, ne noua in medium afferre uidear; calidum dupliciter consideramus: uel ut qualitatem per se: uel ut in subiecto: cumq; medici de calido innato loquuntur, de corpore calido, seu, ut Galenus ait, de substantia illis est sermo. ac philosophi, et Galenus proprias qualitates à substantijs non posse separari aduersus Lycum disputans affirmat: & ijs, qui crescunt, plurimum substantiæ innati caloris inesse dicit.

calidũ dupliciter cõsiderantum:

Lege d[illegible] caloris innati, ab influxu;

cit; adest autem duplici modo in corpore, uel potentia insidens uidelicet spiritui naturali, & humido radicali coniunctus, atque ex semine in omnia membra propagatus: ac sic quidem rectè innatus, seu insitus calor dicitur: uel in corde alium calorem inchoat, qui actu uniuersim corpus calefacit, & ex eo tanquam è fonte in singula membra per arterias influens, cum calore insito coalescit; atque rursum unus fit, & alia ἐνεργεία efficitur. hic autem calor influens, etiamsi in corde ui innati caloris succendatur; tamen non est è semine, atq; effectionibus ab innato discernitur, & influens uulgò, seu uitalis dicitur. uterq; uerò rectè etiam naturalis, cum uidelicet à præternaturali, seu igneo, qui corrumpit, & colliquat, discernendus est, dicitur. inde fit, ut, etiamsi præcipuè in corde uigeat; tamen pinguedinem, quæ in eius substantia sæpè reperitur; non dissoluat. propter has autem moderatißimas, & diuinas effectiones, & quòd, ut Aristoteles ait, analogiam ad cœlestem calorem habet, à nobis cœlestis dicitur, & ui syderũ contemperari, atque firmari existimatur. scio hæc uariè posse disputari, atque de cœlestibus (ut Aristoteles ait) paucas non habere πίστεις, uerùm, cum in hac parte nobiscum faciat Aristotelis authoritas; fortasse minus odiosè Peripatetici pugnabunt, & illud quoque considerabunt, quod philosophus dixit, à sole, & homine hominem generari. porrò in generatione primas hic calor obtinet: unde, ut dixi, Hippocr. & Galen. ἀρχηγονος dicitur. cumq; in effœtis corporibus extinction

Calor ẽ in corpore dupliciter:



NOTA

Calor influens: seu uitalis ab innato differt:

ctioni proximus est frigere; uulgò etiam dicuntur. generato autem animante, uita eius innati caloris in corpore cum humido suo cognato permansio est. hinc animal nutritur: incrementum accipit, & in suo uigore conseruatur. is enim formæ similitudinem in animantibus aliquam, ut Plato docet, gerit, & omnium naturalium operationum effector est, ut Gal. 1. aphoris. 37. ostendit. denique omnia membra in suo uigore conseruat, ac, ut philosophi loquuntur, disponit ad suscipiendum calorem influentem à corde: qui ἐνεργείαν uitæ singulis partibus corporis communicat. ideoq; ab eius præstantia, naturalium facultatum, atque actionum robur, atque firmitas dependet. ut autem minimo etiam lumine corpus illustratum, illuminatum appellamus; ita qualiscunque sit calor in hoc corpore, uitam ei præstat, & conseruat.

Dic de subiecto eius.

PLATO, *atque Galenus statuunt subiectum eius aereum: sed Plato cum igne participare ait: Galenus uerò cum aqua; quia ortum habet ex semine, quod humidum esse sensus iudicio constat. ac Hipp. præclara sententia. Qui crescunt, plurimum calidi innati habent, pro Galeno facit: & experientia declarat, in pueris calorem suauem, gratum, humidumq; esse: in adultis uerò, & iam ætate siccatis ad igneam uim accedere. porrò substantiam illam aeream, cui firmißimè inhæret, spiritum dicimus: eiq; ita insitum esse sentimus innatum*

calorem

calorem, ut nullo modo diuelli poßit. proinde Hipp. & Galenus, dum de calido natiuo agunt, modò spiritum, modò calorem insitum appellant: & xiiij. atque xv. aphoris. primæ partis, calorem, atque spiritum ἔμφυτον θερμὸν Hipp. nominat. hæc quidem non obseruata sæpe dubitationes in lectione adferunt, et quosdam ita mouet, ut prorsus spiritum naturalem non admittant. ut Manardus.

Calor innatus à spiritu nõ separ:

Estne ex veterum doctrina statuendus spiritus naturalis?

MAXIME; nam Galenus in quinto de simplicium medic. facultatibus perspicuè de eo loquitur: & exponens aphor. xv. primæ sectionis, membra solida hoc spiritu constare ait. octauo etiam lib. de Hipp. & Platonis decretis minimè obscurè eum inesse corporibus asserit; imò de nulla re magis, quàm de hoc spiritu contra Platonem pugnat; cum reuera à calore innato non discernatur; sed una eorum sit substantia, atque sola ratione distinguantur. cum enim concoquit, attrahit, retinet, aßimilat &c. rectè calorem natiuum, seu ἔμφυτον θερμὸν appellamus: cum palpitat, mouet; spiritum naturalem uocamus, ut Galenus. 8. de Hipp. & Platonis decretis, & in libro de tremore, & palpitatione asserit, ac Actuarius in libello περὶ ἐνεργειῶν, καὶ παθῶν τοῦ ψυχικοῦ πνεύματος, eruditè, & philosophicè de eo disputat: & fontem, & originem spiritus in corporibus, atque uiuentibus statuit: ac quæ incommoda eo obruto, debilitato, uel exhausto sequantur, ostẽdit.

caloris innati, et Spus una et eadẽ ẽ suba, sola rõne distincta:

Quid

Quid eſt iſte ſpiritus?

EST *ſubſtantia aerea calida, & humida à ui cœleſti contemperata: in ſemine, & ſanguine materno; & non ſolùm ijs membris, quæ auctioni ſeruiunt; uerùm omnibus partibus corporis humani inſita, caloriq; innato ita unita, ut ab ea magis cogitatione, quàm re ipſa diſcerni poßit.*

Vnde deſumpta eſt hæc definitio?

EX *authoritatibus* Hipp. *Ariſtotelis, Galeni, & Actuarij: quas paulò antè me ſequi oſtendi. cũ autem cœleſtem dico; non ad originem, aut materiam eius: uerùm efficientem cauſam reſpicio, atque ſimilitudinẽ, ſeu analogiam, ut effectiones teſtantur, ad calorem, qui ab aſtris eſt, habere ſtatuo. illi autem analogiæ, quam de ſententia* Hipp. *&* Ariſt. *ponimus, non poteſt alia cauſa, quàm cœleſtis aßignari; etiamſi planè ea demonſtrari nequeat. ſed hæc mittamus. illud autem ſtudioſi teneant, quemadmodum omnis ſpiritus ſubſtantia tenuis, & lucida eſt, & media inter ea, quæ diſſolui, et non diſſolui poſſunt: ita & hunc ſpiritum aereum eſſe, ac à cœleſti ui non minus illuſtratum, quàm hunc circumfuſum aerem, quem lucem, & claritatem à corporibus cœleſtibus accipere non eſt dubium. etſi autem ſpiritus, quem uitalem dicimus, eo ſit lucidior, & tenuitate, ac agilitate maiori præditus, magiſq; ſpiret; tamen neque huic, qui una cum calore innato omnium actio-*

actionum naturalium proximum est instrumentum, appellatio spiritus deneganda est.

Est ne huius spiritus temperatura ignea?

NEQVAQVAM; *sed aerea calida, & humida, ad cœlestem calorem, qui illius opifex est, analogiam habens. ideoq;, etsi eum Aristoteles flammæ, quæ humido unctuoso pabulatur, aßimilat; tamen Galenus in lib. de marcore acriter non esse igneum asserit: nec Aristoteles; etiamsi hanc ponat similitudinem; igneum esse uidetur sensisse, ut paulò antè ostendi.*

Nonne Galenus, atque Aristoteles affirmant humidum radicale subiectum esse calidi innati?

CERTE *affirmant: cum autem Galenus accidentia suam quoque essentiam habere statuat; non incōmodè spiritum essentiam calidi innati dicere possumus: subiectum autem eius humidum radicale uocamus.*

Doce me de humido radicali.

PRIMO, *ut monui, nominum diuersitate Tyrones nō oportet moueri. Latini innatum, primogenium, radicale, & seminale Vocant: Galenus* ὑγρὸν κατὰ φύσιν, & τὴν σύμφυτον ὕλην: *Recentiores de eo nunc uariè disputant, ac discrimen ponunt inter humidum radicale, & continuans: humidum enim continuans uocant substantiam aqueam, qua utitur uis formatrix ad cōiungēdas terrenas partes ne diffluant, ut solidorum omnium*

nium

nium fiat continuatio. humidum uerò radicale dicunt, ſubſtantiam pinguem à prima origine omnibus membris inſitam; ut ſit ſubiectum caloris innati: eumq; foueat, conſeruet, & actionibus eius ſubſeruiat. ſed uerior eorum uidetur ſententia, qui humidum ſeruans partis continuitatem partim conſtare ex humiditate naturali, partim ex elementari affluente, & excocta affirmant.

Eſtne in corpore humano humor oleo ſimilis?

CERTE quicquid uiuit calore præditum eſt, & olei ſimilem humorem habet. ac coniunctionis iſtius caloris, & humidi pinguis permanſio, quæ eſt quaſi uinculum animæ cum corpore, ſecundum philoſophos, & medicos, Vita cenſetur. ſparſus autem eſt humor ille per partium ſolidarum ſubſtantiam ita tamen, ut uiſum effugiat. eſtq;, ut dixi, caloris, atque Spiritus innati ſubiecta materia. in hoc itaque humido calor ab ipſo ortu ita inhæret, Vt nullo modo uiuo animante diuelli poßit: tantaq; eſt ſocietas, ut unum alterius ope deſtitutum nihil poßit efficere. uerùm tamen humidum hoc ubi uel ſuffocatur calor, uel dißipatur, ut in animi deliquio manet ſeparato calore, unde uidere eſt quantumuis arctè illa tria ſint coniuncta: tamen ſeparari poſſe: ſed non abſque animantis interitu. Proinde in horũ quaſi connexu, uidelicet, ſpiritus, caloris, & primogenij humidi, id quod naturam appellamus, continetur: nã, ut dixi, natura nihil aliud eſt, quàm purißima ſubſtantia

VITA: Humor in subst. solidorũ, ẽ subiecta mã caloris, et spiritus natis

calor. s. spũs, et humidũ primig.

Natura: qd: ẽ cuius multiplici significatu: lege sup. fol. 33:

Humor ille primogenius sparsus est p membra solida, adeo tn ut uisũ effugiat: et ẽ caloris innati, et spus subiecta materia: et c.

Calidu innatu medicis qd sit: et sic merito subst. no aut qualitas dicitur:

tia è semine deducta: quæ interuentu spiritus, & caloris existit in materia: opifex, & conseruatrix nostri, denique omnes partes ad operationes, & effectiones suas incitans, atque tanquam præcipua causa adiuuans. unde Aristoteles inquit; Natura est Vis prima, & causa nostri opifex, & conseruatrix. sed medici naturam appellant temperamentum, quod est à primo ortu. calidũ autem innatum sæpe dicunt ipsum humidum primogeniũ spiritu, & calore undique perfusum: nam Philosophi statuunt elementorum haud participem esse; sed Medicis nulla est substantia, quæ non ex elementis constat.

Natura medicis quid: Calidu innatu medicis.

Si humidum primogenium, seu radicale non apparet quid igitur sunt humores, quos spectamus in solidis partibus?

PRIMVM *est humor elementaris, communis omnibus rebus concretis, aqueus ille quidem, minime inflammabilis. hic cum existit copiosius in lignis; flammam non admittit. deinde alimentarius humor nec ille inflammabilis, sed ab elementis expressus, coctione quidem transmutatus: nondum tamen in corporis substantiam uersus. hinc quatuor humores secundarios, medici quidam doctißimi de sententia Auicennæ statuunt, ad quam tamen Galeni rationes haud uidetur congruere. primũ humorem illum, qui ceu concretus liquor fibris adhærescit, & ad similarium partium substantiam carnosam pertinet. hunc uidere est in carnibus, quæ igne torrentur, liquari: hic nonnullis carniformis, & barbaris cambium*

Humor elementaris: Alimetarius. Humores secundarij quatuor: CAMBIV.

 dicitur

Humores pter quatuor illos qnales ex qbus sanguinis massa componit, sut in membris solidis adhuc multiplices: ut pote. Humidu primogenium, Elementarium, Alimetariu: Sut iux ex Auic. quor secudar humiditates Cambiu, Gluten, Ros, et cares note, qui in exilibus i uenis, et arterijs:

GLVTEN. dicitur. secundus ab hoc, qui ceu proximum partis alimentum illi annectitur, & agglutinatur, à Barbaris Gluten appellatur: quidã continuantem appellari censent, quod uniuersam corporaturam continuat: sed is, ut diximus, partim natiuo, partim alimentari humido constat. tertius, qui roris uice aspergitur, & adhæreſcit membris: posteaquam è uenis exilibus effluxit. hunc recentiores rorem uocant. quartus is est, qui in arterijs, & uenis exilibus, quas capillares uocant, continetur. hic etsi nomine caret; tamen rectè alimẽtarius dicitur. est enim is, quem supra alimentarium uocauimus; quòd uerè eo partes omnes nutriuntur. constat autem ex diuersis partibus, & in singulis ferè diuersus inest: sicut in chylo, lacte &c. ideò secundum earum naturam diuersis membris inseruit. cum autem prolabitur ex uenis; appellatur ros: cum agglutinatur, Gluten, ut diximus: cum iam in substantiam partium carnosam transit; cambium. sed reuera, cum omnis coctio fiat propter nutritionem, atque in ea transmutetur res, quæ concoquitur in naturam concoquentis: tot erunt humores, quot coctiones. sunt autem coctiones, etiamsi quidã plures, quidã pauciores tradant in triplici differentia. etsi aũt sanguis, antequã mẽbris apponitur, transit p diuersos gradus: tamen non necesse est propterea statuere plures gradus humiditatis. de his aũt nõ est litigandum, ac illud potius de humido radicali obseruandum est, quantumuis sit stabile: tamen ætatis accessione imminui, nec illius iacturam ullo modo recuperari posse

posse. inde quidem est ea, quam in extremo senio esse diximus, immedicabilis siccitas. sic & humores, (de quibus nunc agimus: nam de ijs, quæ in uenis continẽtur, paulò antè nostram exposuimus sententiam) cum absumuntur in morbis; siccitatis gradus constituunt. primùm, cum is humor, qui in uenis est exilibus, diminuitur: hæc siccitas curatu facillima est. secundum, cũ is, qui instar roris membris aspergitur, absumitur. tertium, cum id, quod iam ex humore concretum est, liquatur, & caro ipsa defluit. quartum, cum solida similarium partium substantia siccior redditur, atque hic hecticorum, & tabidorum extremus gradus est: et itidem, ut senectutis extrema siccitas insanabilis, quemadmodum ostendit Galenus septimo methodi, ubi hos quatuor siccitatis gradus constituit.

Siccitatis gradus:

Mutaturne ætatis ratione calidum innatum?

MAXIME, etsi enim, ut dixi, summa est calidi, & humidi primogenij coniunctio, & quidem quandiu integer est calor innatus, temperatus is esse censetur: tamen rectè Hippocrates, & medici statuunt hominem primo die ineuntis ætatis esse calidißimum, & humidißimum. hinc quidem, ut uidemus promptè corpus augetur, ac crescit: tunc enim humidum extenditur, & membra caloris ui siccescunt, ac firmantur. cum uerò iam ossa, membranæ, & nerui amplius diduci nequeunt; incrementum consistit: diciturq; tum corpus ualidißimum, & robustißimum. itaque ætas consistens

p° die ortus sumus calidissimi, et humidissimi:

incrementum quando consistat:

stens iam primogenium humidum magis terrenis, & firmis partibus inhærens, minusq; conflagrationi obnoxium habet, ac per easdem calor quasi acrior diffusus est. cum uerò à media ætate recedit corporis constitutio; tandem humidum quasi siccitate obtunditur: et calor pabulo destitutus, diminuitur: sed nondum planè euanescit, donec in extrema ætate humidum ita deficiat, ut prorsus conseruando calori non sit satis. rectè igitur ad hunc modum hominis uita lychno ardenti comparatur.

Calor innatus qn diminuatur: post consistentiam s.

Mutaturne calidum innatum per anni tempora, & regiones?

Quo calor innatus p anni tpa mutetur

ITA censet Hippocrates: sed hoc non fit per se, uerùm ex accidente. nam in hyeme, cum corporis meatus frigore stipantur; calor intus cohercetur: sicq; in spiritibus, & sanguine intus agens fit intensior. at in æstate apertis meatibus corporis, calor ipse in profundo corporis non manet, & ab externo calore affectus languet. interdum etiam acrior, accedente calore præternaturali, ut in febribus efficitur: & concoctioni minus commodus. uer autem & autumnus si moderationem quandam seruant, & iustam constitutionem nanciscuntur; calori minimè obsunt. sed, cum calor, de quo Hippocrates loquitur, cum inquit: qui crescunt, plurimum habent calidi innati; sit à semine: itidem ut humidum primogenium, uel radicale, non possunt augeri, & imminuta omninò restitui. foueri autem, atque refocillari queunt purissimo, & conuenientissimo ali-

mento

Refocillatio caloris innati, et humidi primogenij:

mento, & aere, quæ respectu illorum tamen impura sunt: calor quidem à moderato calore, qui à sanguine, & spiritibus est, humidum optimo alimento probè concocto. atque hinc, & incrementi, & alitionis totius corporis ratio dependet. sed, ut dixi, resolutum humidum radicale, atque calidum innatum planè non restituuntur; essent enim, si hoc fieret; corpora immortalia. quidam ex Galeni sentētia ad Trasybulum, de similitudine duorum uasorum sumpta humido radicali è nutrimento tantum accedere, quantum discedit, arbitrantur. sed tamen non prorsus simile humido radicali, ac propter istam dißimilitudinem membrorum facultatem deleri: ut est apud Platonem, & mortem consequi.

Agitne calor innatus in humidum radicale?

AGIT *quidem: sed, non ut dissoluat: sic enim inquit Galenus in libello de tabe. nullum esse tempus, in quo calor ille non per uniuersam materiam diffundatur: & non modò eas uires continent, quibus animal format; uerùm etiam alimentum trahere, materiam dispensare, apponere, unire, aßimilare, ita tamen, ut circa sibi congenitam materiam omnia contra perficiat, quàm flamma. ostendit autem eo in loco quid ad conseruandum humidum efficiat, uidelicet, quod claudat aliquas partes: in aliquibus uerò canales inducat, quos poros uocant; partim ut nutrimentum per eas solidæ partes trahant: partim propter refrigerium, & respi-*

rationem: partim etiam, ut excrementa excernantur per alios quidem meatus, quos & ipse calor ampliores facit, crassiora; per alios tenuiora. porrò, cur nō agat in humidum primogenium, atque illud primò consumat; rationem reddunt philosophi; quia nulla forma per se in motu alterationis in subiectum proprium agere possit: agit igitur in alimentitium primò quidem, ut fiat alitio, deinde accretio. quoties autem alimentarius humor corpori detrahitur, & in suum subiectum necessariò ei agendum est, uita minimè diu durat. est autem ea Aristotelis sententia: quemadmodum oleum paulatim flamma absumitur, ita natiuum humidum à calore insito resolui, & uitam, ueluti deficiente oleo in lychno extingui: magis tamen in aduentitium, seu alimentarem humorem agere, nec totum primogenium humidum dissolui uita permanente. porrò cum continuè aliquid dissoluatur, & uitæ minus idoneum reddatur; calorem quoq; fieri debiliorem: & quādo omninò defluxit; uitam quoque amplius non permanere. ut autem suprà monuimus, & Galeni est sententia, humidum innatum, aduentitio irrigari, atque augeri eo modo censemus, quem Aristoteles primo de ortu ostendit: cum accessionem illam humiditatis ex alimentis permixtioni aquæ in uino comparat: sicut enim uinum uires suas affusa aqua non amittit statim; etiamsi imbecillius, & impurius fiat: sic humidum primogenium accessione humoris alimentitij, etiamsi augeatur; tamen impurius, minusq; firmum, & uitæ commodum redditur. cum uerò

Cur calor innatus, nō agat in humidū radicale, ut ipm p° consumat.

Humidū radicale, quo aduentitio irrigetur

uerò secundum philosophos forma definitam sibi præscribat materiam; hic calor itidem, ut lux, proportionatam sibi materiam requirit: in qua conuenientes uitæ actiones suscipere possit. ac exhauriri, uel obrui illum intemperatiori uita manifestius est, quàm, ut de eo multum sit uerborum in præsentia faciendum. hæc autem tyrones artis medicæ in tanta de calore innato disputationum uarietate, quæ uerissima esse, et ueterũ authoritates, & usus artis monstrant, monuisse satis sit.

Estne alius ab hoc diuersus calor?

EST certè: & is à temperamento hepatis, et cordis prouenit, atque per arterias, & uenas in uniuersum corpus defertur, is influens, & infusus, seu actualis calor dicitur. hic, cum à spiritibus uitalibus separari non queat; nihil refert, si spiritum dicas esse autem distinguendum, inter calorem innatum, seu complexionalem qui tuetur, & conseruat omnes corporis partes, atque in hepate, & corde infusi quasi fons est & inter infusum, qui actu calefacit, & à corde in reliquũ corpus influit, manifesto indicio sunt cancrenæ uidemus enim partes corrumpi, & putrescere propter calorem innatum oppressum, nec posse ab influente conseruari.

Estne calor influens tantum à corde?

EST præcipuè: sed dimanat etiam aliquid ab hepate, quemadmodum, & à cerebro spiritus. uerùm non feruntur, itidem ut is qui à corde prodit, in omnes corporis partes.

Nonne hos ſpiritus vocas, & conſtituis tres, videlicet, naturalem in hepate: vitalem, qui generatur in corde: & animalem, qui in cerebro?

RECTE *ſanè: uerùm de naturali quidam dubitant, atque in hoc Galenum uelle ſequi uidentur. ſuerùm minimè dubium eſt naturalem ſpiritum omnium eſſe primum, ac rectè ſpiritum dici, ut Actuarius probat.*

Declara hoc.

HIPPOCRATES *in continentibus, id eſt ſolidis partibus, quæ* τὰ ἴσχοντα *appellat, affirmat eſſe* τὰ ἰσχόμερα*, id eſt, humores, &* ἐνορμῶντα σώματα*, id eſt ſpiritus. cum itaque ſanguis generetur in hepate; aderit etiam ſpiritus impulſor, qui primum in cor, deinde in uniuerſum corpus ſanguinem prouehat.*

Spūs natis ſāguinis impulſor

Quæ eſt ſpiritus naturalis generatio?

AEREA *portio alimenti coctione, ſeu temperati caloris energia tranſiens in puram, & tenuem ſanguinis ſubſtantiam: quæ uaporis ſpeciem obtinet, ea à iecoris temperatura, & ingenita ui eam accipit formam ut dicatur, & ſit ſpiritus naturalis. is ad omnes partes, quæ nutriuntur, cum ſanguine diffunditur, et quidem reliquorum ſpirituum materia eſt. denique inſitum ſpiritum, à quo quaſi fomite incenditur, quem paulò antè naturalem quoque appellauimus, fouet, & quaſi nutrit.*

~~Sanguis~~ Spūs natis ē aliorꝫ ſpūū materia

Quo=

Quomodo is eſt materia ſpiritus vitalis?

PRIMUM *effertur unà cum ſanguine per uenam cauam in dextrum ſinum cordis, in quo elaboratur, atque attenuatur: tandem in ſiniſtrum per anguſtiſsimos meatus tranſit, & uirtute cordis in uitalem ſpiritum conuertitur: atque per arterias in totum corpus diffunditur, mitigaturq́;, & conſeruatur aere per pulmones tracto. ſunt autem quidam in ea ſententia ſpiritus tantùm generari in corde: & in hepate, ac cerebro aliam formam acquirere. ſed nos ſpiritum uitalem ab naturali generari arbitramur, & ab hoc animalem produci, atque in cerebro perfici.*

Quomodo ex vitali fit ſpiritus animalis?

PORTIO *uitalis ſpiritus per arterias ſurſum fertur ad cerebrum: & primùm in implexu, ſeu contextu quodam uerè mirabili dicto; (cum de eo mirificæ ſint lites, alijs reijcientibus huic, & pro eo contextũ, quem Coroidin Anatomici uocant, admittentibus: alijs uerò ponentibus, & affirmantibus ex quatuor conſtitui arterijs: & in illorum plexu, & anfractibus contemperari) hæret. mox in cerebri uentriculis cœleſtem quandam uim accipit: denique per neruos ad omnes partes corporis, quæ ſenſu, & motu indigent, fertur. mitigatur autem, atque fouetur, aere tracto, & elaborato per nares. porrò animalis dicitur, non quòd ſit anima, ſed quòd proximum animæ habitãtis in cerebro* Hoc christianu sapit: cur spus animalis dicat'

instru=

instrumentum. Ideoq; medicũ, qui conseruãdo corpori studet praecipuam curã spirituum; ut & qualitate, & quantitate, secundum naturam sese habeant, sustinere oportet. nunc autem, ut haec ipsa rectius intelligantur; ad facultatum, seu potentiarum explicationem nos conferamus.

DE FACVLTATIBVS, SEV POTENTIIS. animae, quae δυνάμεις uocantur.

NESCIRE *nos animae essentiam cum nullo sensus; rationis uerò perexiguo adiumento in eius cognitionem peruenire liceat, manifestum est. Id autem, quod scimus, ab actionibus eius petimus. haec uero à substantia procedunt impellente facultates, quae proximae sunt actionum causae. etsi autem nec facultatum substantiam satis assequimur, ac Galenus nõ necessariam medico cognitionem substantiae facultatum esse dicit; tamen statuimus facultatem esse uim, quae effectiones, seu operationes profert, siue ea sit à substantia animae; ut uolunt philosophi; qui potestatem animae ab ipsa substantia non discernũt: quatenus enim est forma; actus, et* ἐντελέχεια *corporis anima dicitur: quatenus principium operandi; facultas appellatur: siue à temperamento, ut Galeno & medicis placet: qui nihil aliud facultatem esse dicũt, quàm causam effectricem in partibus temperamenti sitam, ut Galenus .i. de simplic. medic. facultatibus, capite primo definit: hancq; Medico conseruandam docet*

nihilq;

Aia ẽ actionũ princeps ea. Facultas uero coadiuuãs

nihilq; referre putat, siue δραςικὴν, siue ποιητικὴν dicas lib. de plen. sed omninò hoc tenendum est animam esse principem causam actionum: facultates esse adiuuantes causas proximas, & has cessare posse durante anima, & uita: si quidem reuera uiuere nihil aliud est, quàm animæ uires in corpore obtinere.

VIVERE QVID.

Quot sunt facultates, seu potentiæ corpus nostrum dispensantes?

TRES: *naturalis, uitalis, & animalis; tot enim diximus esse spiritus. naturalis in hepate per uenas, cum spiritum naturali, & sanguine in totum corpus sparsa, infima est: uitalis in corde per arterias in uniuersum corpus distributa, media: animalis in cerebro per neruos in omnes partes sensu, & motu uoluntario præditas delata, summa. distant igitur effectione, dignitate, situ, atque organis, seu instrumentis.*

Nonne tot quoq; animæ partes ponuntur?

GALENVS *in ix. methodo ex sentẽtia Platonis 4. de Republica ponit λογιςικὴν in cerebro: θυμοειδῆ in corde: ἐπιθυμητικὴν in hepate, & nominum inopia facit; ut sæpe partes animæ species, seu genera animæ, & facultates commisceantur, sed omninò inter hæc discrimen ponendum est.*

Ostende discrimen.

VNAM *esse animam in uiuente corpore certum est: eiusq; propriam actionem uitã esse; sed specie hanc*

ipsam

ipſam in diuerſis uiuentibus diuerſam, in homine enim eſt intelligens anima præbens uitam corpori, & ab eo ſeparabilis, & mortalis: in qua ſentiens, & uegetatiua tanquã trigonus in tetragono continetur, in brutis ſentiens, quæ quandam cognationem cum ſenſibus interioribus, uidelicet imaginatione habet: et appetitu, ac motu prædita eſt. in ſtirpibus autem, & eò, quod φυτὸν, id eſt, terra editum uocant; tantùm naturalis: quà uiuit, & nutrimentum trahit; augetur, & creſcit. dicimus autem has ſpecie diſtinctas eſſe: ſentiens enim, quæ in homine eſt, nequaquam ſpecie ſimilis eſt huic, quæ in Brutis: aut naturalis ea, quæ in plantis, ſed ſentiens, atq; naturalis in homine ſunt, ueluti adminiſtræ animæ intelligentis: minus tamen ἐνεργεία; quia cum temperamentis, & ſpiritibus pluſculum ſocietatis, atque affinitatis habent. intelligens uerò illa diuina eſt. Verũ tamen, cum non omninò ſegregentur ab anima, niſi diſcedente anima rationali è corpore; cenſetur à Medicis temperamentum eſſe in animæ ſedibus.

Quid eſt naturalis facultas, ſeu δύναμις, uel potentia?

NATVRALIS *potentia eſt, quæ generando, nutriendo, augendo corpori præeſt: ſunt igitur huius rurſus tres facultates, quas Ariſtoteles ad potentiam uegetatiuam refert: uidelicet generatrix, nutrix, & auctrix.*

Quid

Quid est generatrix, seu procreatrix?

EST *uis, quæ substantiam cõmutat, seu alterat, & nouam conformat: ut quod semen commutatur, & ex eo fit os, neruus: quod ex ouo fit pullus.*

Habetne facultates subministrantes?

Habet: nempe alteratricem, & formatricem.

Quid est alteratrix?

EST, *quæ semen, & sanguinem maternã .s. subiectam materiam generationis hominis non solum in primis, & elementaribus qualitatibus, uidelicet, calido, frigido, humido, sicco: uerumetiam in secundis tactorijs, gustorijs, olfactorijs, & uisorijs mutat, & alterat; ut ex ea os, neruus & reliquarum partium quælibet fiat. totq; sunt in animali huius facultatis species, quot similares partes deprehenduntur: singulæ enim partes suam elementorum in semine analogiam sequuntur.*

Quot alteratrices facultates in corpore sint:—

Quid est formatrix?

EST *uis in semine à membris deriuata, quæ efficit figuram, situm, compositionem, constitutionemq; in toto, & qualibet parte, Vt membrum, uel totum istam formam accipiat, & actioni, & proprijs uiribus sit idoneum: Vt nihil plane sit superfluum, nihil ociosum, & non ad certum usum factum. subseruit autem huic nutrix, & auctrix; quia absq; harum facultatum opera conceptum in utero non potest conseruari.*

VIS FORMATRIX EST A SEMINE.

Quid

Quid est auctrix?

CVM, quod à genitrice, seu formatrice facultate perfectum est, nondum in debita magnitudine sit constitutum; à natura uis increscendi concessa est, quæ ad debitam magnitudinem producit. est igitur auctrix uis uegetalis animæ, quæ corpus quoquo uersum propria forma, & continuitate seruata extendit; ut simul in longitudinem, latitudinem, & altitudinem debito modo augeatur, donec ad præfinitum terminum perueniens præstantiores exerceat operationes: uiuentibus enim ad obeundas suas functiones magnitudo debita in primis necessaria est. Cur autem non hæc formatrix præstet; facit loci, in quo fit generatio, angustia, materiæ paucitas: & ut incrementi, atque decrementi in uita sit certa ratio: nihil enim simul natum, et perfectum. huic uerò facultati subseruiunt, atque auxiliantur alteratrix, & nutrix: nisi enim alimentum mutetur, & in corporis substantiam conuertatur; corpus augeri nequit. obseruandum autem hic est nos de uero incremento, quod auctricis effectus est, loqui: nõ enim quicquid plenius alitur, & pinguescit, augeri dicitur; siquidem puer febricitans, etiamsi emaceratur; tamen, cum crescat; augetur.

Quid est nutrix?

PERPETVAE dissolutioni, & fluori corpus nostrum tum operante perpetuo calore, tum alijs de causis est obnoxium. ideò, ut conseruari possit; necesse est

AVCTRIX FACVLTAS QVID:

Cur formatrix et augmentũ nõ præstiterit:

NIHIL SIMVL NATVM ET PERFECTVM:

se est alimentum assumere, quod in substantiam corporis conuertatur: atque nō solum illi, quod defluxit, succedat; uerùm etiam augendo corpori subseruiat. uis autem in corpore, quæ hoc efficit, nutrix, seu altrix Græcis θρεπτική dicitur. ea uerò est, quæ assumptum alimentum, & destructa priori natura, in corporis substantiam conuertit eiq; aßimilat. porrò, ut procreatrix circa eam commutationem materiæ, quæ fit ad nouæ substantiæ simpliciter, et per se productionem: auctrix circa solidarum partium extensionem: ita nutrix circa alimenti commutationem, atque aßimilationem uersatur. secundum philosophum autem. 2. de gen. animaliū eadem est generationis, accretionis, & nutritionis materia: eaq; mixta, nec simplex. aliæ autem mutationes à ui uegetatrice, dum generationi, incremento, uel nutritioni adsunt, in ea fiunt.

Cibi necessitas

θρεπτική

Quot habet hæc auxiliatrices?

QVATVOR; attractricem, quæ ἑλκτική dicitur: estq; uis sibi familiare asciscendi ex nutrimento. retentricem, quæ καθεκτική: ea idipsum retinet, donec facta est concoctio. concoctricem, quæ fit alterando, & aßimilando. & expultricem, quæ ἐκκριτική dicitur: ea id, quod qualitate, uel quantitate molestat, expellit. his Auerroes quintam addit, quam ignotam Galeno, atque Auicennæ dicit; uidelicet discretiuam, quæ facta iam coctione, conuenientia singulis membris separat. sed medici trahenti hanc uim tribuunt: alij uerò pariter coctrici, & expultrici. lege

Discretiua uis ponit' ab Auerroe:

Farneliū. v. pathol. c. v. ubi disputat nō dari uim segregatricem, nec aliā natam pter qtuor enarratas, sed segregatio, ē quoddā uel expultricis, ut attractricis initium:

Decla

Declara hoc.

PHILOSOPHI *affirmant, & probant ex his nos nutriri, ex quibus sumus: ac inesse omnibus rebus naturalem appetitionem, qua id, quod sibi simile, familiare, atque amicum est, alliciunt. sic temperaturæ siccæ sicca appetunt: calidæ, & humidæ, ut pueri dulcia omnia: frigidæ, & humidæ, pisces. & quidem in symbolũ habentibus facilior est transitus; licet enim primo occursu alimentum aliquo modo sit dißimile; nõ tamen prorsus dißimile existimandum est: quantò uerò similius ei, quod nutritur, tantò conuenientius alimentum est. trahunt autem membra propterea, ut sibi adiungant: & eius suauitate eò usque perfruantur, donec sibi tandem aßimiletur. donec uerò id fiat, mora quadam, ac retentione opus est. in hac calor congenitus mitigat, mutat, & concoquit: & deinde id, quod superuacaneum est, expellit.*

Quomodo fit attractio?

Duobus modis: *uel ui insita, ac propria. uel uillorum ope. sic ui insita hepar trahit ad se chylum ex uentriculo, & intestinis per uenas mesaraicas: licet subseruiant uilli, nec accipit chylum ex uentriculo expreßione, ut uoluit* Erasistratus. *ita neque aquosus humor, ut idem censet, in renes defluit: sed ui attractrice insita renibus trahitur, hac ui medicamẽta purgãtia, intra corpus sumpta humorem sibi familiarem è corpore nostro*

trahunt

Villi sut recti, qbus fit attractio. Lati qbus expulsio. Transuersi quib. retentio fit.

trahunt excitata, seu, ut medici, loquuntur, ad actum deducta à calore naturali: sic rhabarbarum choleram, & serosos humores &c. deinde fit attractio uillorum, seu fibrarum ope, uidelicet rectarum. sunt autem uilli, seu fibræ, Græcis ἶνες dictæ, partes similares tenues, tanquam stamina tenuissima intertextæ uel musculis, in quibus sustinent carnem, & seruiunt motui arbitrario: uel tunicis, atque membranis interioribus, in quibus motui naturali accomodatæ sunt. sic cor habet suos uillos: item stomachus, intestina, uenæ &c. Est aũt triplex uillorum, seu fibrarum genus à natura constitutum: rectæ, quæ protenduntur secundum membri longitudinem, & attractioni seruiunt: transuersæ, quæ in latitudinem organo, uel musculo inseruntur, & expulsioni conferunt: obliquæ, quæ obliquè, & ad impares angulos in rectas incidunt, & retentioni subseruiunt. ut autem in musculis contractio, & dilatatio uillorum, quæ fit instinctu uoluntatis, motui inseruiunt: ita in naturalibus instrumentis recti uilli contracti, & breuiores facti alimentum attrahunt. transuersi autem omnem capacitatem sua contractione angustiorem reddunt. ideò, quicquid continetur, expellunt. obliqui; quia nec breuiorem, nec angustiorem partem faciunt: constantia, & æquabilitate sua attracta retinent; licet Galenus. 6. de usu partium, retentionem omnibus uillis simul cooperantibus fieri affirmet. ubi igitur triplex est hoc uillorum genus in aliquo membro: triplicem actionem edunt: siue membrum constet una simplici tu-

Marginal notes: uilli recti attractioni inseruiunt. — Villor[um] triplex genus: — Attractio, retentio, expulsio quo fiat. — Gal[s] d[e] Retentione

longitudinales.
villi recti contracti, ac breuiores facti attrahut alimentu. Transuersi (latitudinales dicti) si se contrahentes, locu angustiorem reddut, et sic expellut, Obliq: neq breuiore neq angustiore locu facientes, retinent: At Gal[s] oibus villis simul opantibus, ~~attractio~~ Retentionem fieri ait.

ci tunicâ; ut uterus: siue duplici; ut uentriculus. ubi uerò tantum unum uillorum genus est; licet duæ sint tunicæ, ut in intestinis: tamen transuersæ fibræ tantum expulsioni conducunt. hæc est simplex ueterum sententia, quam recitaui tyronibus medicinæ. nec moueor recentium Anatomicorum dictis, quibus Galenũ impugnant, et uillorum usum solum istum esse affirmãt; ut ad omnem dimensionem membra prædita uillis dilatari, atque extendi poßint: præsertim cum collatio compositionis, & structuræ partium, atque effectionũ & usus, quem habent, aliud nos moneat, atque doceat.

Dic de retentrice.

RETENTRIX uel sua ui succum familiarem continet, donec absoluatur concoctio: uel excremẽtum, donec molestet quantitate, uel qualitate acri: uel utraque simul. hæc uillis obliquis iuuatur, ut perspicuè in membris magnam cauitatem habentibus apparet: uelu- ti in uentriculo.

villi obliq. manifesti sunt in ventriculo.

Quid est nutrix, seu coctrix?

NVTRIX, seu altrix est potentia, quæ alimentum alterat, & corporis substantiæ aßimilat. alteratio autẽ fit per medias qualitates. ideoq; maior, quo nutrimentum minorem cognationem cum nutrito habet: minor, quo maiorem. omne enim nutrimentum ei, quod nutritur, primò quidem quasi contrarium quia inconcoctum: postea mutatum (fit enim propter dissolutionem

Alteratio.

in con

ut uidemus in lethargo, cum motus, & sensus consopitur, manentibus functionibus naturalibus, & uitalibus. item in paralysi, cum sæpe motus, sæpe etiam sensus impeditur, illæsa naturali, & uitali facultate. ad hunc modum naturalis læditur, reliquis illæsis; ut uidemus in membrorum ἀτροφία. sic in febribus pestilentibus, uitalis à pestilenti halitu, hausto ueneno aereo, quod Galenus seminarium pestis uocat, grauißime inficitur, aliquandiu aliis facultatibus manentibus integris. atque ex his manifestum est medico tres facultates non modo cogitatione; uerùm reipsa discerni, ac in diuersis locis, ac sedibus, diuersis etiam instrumentis uti; ut animalem in cerebro, neruis: uitalem in corde arteriis: naturalem in hepate, uenis. proinde non est, quòd discentes remoretur, aut perturbet uaria, & dissimilis facultatum distinctio. alia est enim eorum ratio, qui sequuntur medicos: alia eorum, qui sequuntur philosophos: denique multi medicas, & philosophicas distinctiones miscent.

Quid est vitalis?

EST, quæ ex corde in uniuersum corpus uitalem spiritum, & calorem transfundit, & reliquarum facultatum conseruatrix est. syncope enim, & animi deliquia, in quibus uitalis robur intercipitur, atque oppugnatur, satis testantur tantam huius facultatis neceßitatem esse, ut citra illius auxilium reliquæ non modò cessent; sed uita etiam hac prorsus extincta è cor

pore discedat: siquidem uita facultatum, atque actionum est conseruatio.

Quid est facultas animalis?

HANC *cerebro inesse dicimus; etiamsi non ignoremus Hippocratem in libro de corde, atque in alijs locis sedem mentis, quam* γνώμην *uocat, cor posuisse. sed nos Galenum Hippocratis interpretem optimum sequimur, & facultatem animalem in cerebro statuimus: eamq; in corpore non solùm sensuum omnium, & motus; uerùm etiam cognitionis causam esse. Galenus autem tres huius ponit differentias; nempe sentientem, mouentem, & principem.*

Estne sensitiua duplex?

ARISTOTELES, *atque eius interpretes duplicem constituunt sentiendi facultatem; exteriorem scilicet, quæ in rerum externarum cognitionem proprijs instrumentis peruenit. sunt autem quinque sensus exteriores; uisus, auditus, odoratus, gustus, tactus. interiores uerò eos esse censet, qui à rebus sensibus exterioribus perceptis, imagines formant, easq; discernũt, dijudicant, & recondunt, atque conseruant. ideoq; quatuor sensus interiores constituuntur; nempe sensus communis, imaginatio, ratiocinatio, seu discursus, & memoria. sed Galenus communem sensum non ponit; uerùm sub imaginatrice facultate complectitur. imò sensus hos interiores nõ hoc nomine appellat; sed prin-*

Sensus interiores qui:

Sensus interiores .iiij.

cipes

in contrarium mutatio), ſimile efficitur. ſed alimentum reuera potentia ſimile eſt. ac, quò magis ad ſimilitudinem partis in corpore accedit, eò facilior fit conuerſio: ſic ex carne facilius efficitur ſanguis, & caro, quàm os. rurſum lenta, & uiſcoſa alimenta facilius os nutriũt. priuſquam autẽ coctio abſoluatur, ſunt certi eius gradus, uidelicet, initij, medij, & finis. ſic primæ coctionis initium eſt in ore, atque gula, quod præparationem licet appellare. medium, ſeu uera coctio in uentriculo. abſolutio in inteſtinis. ſecundæ initium in meſaraicis uenis. In hæpate medium, in caua uena, abſolutio. tertiæ reliquæ uenæ præparant humorem alimentarium, qui ex uenis capillaribus ſ. paruis elapſus membro apponitur. ſed de his, & excrementis coctionum poſtea dicemus. abſoluta autem coctione in uenis, ut dixi, ac nutrimento perfectè cocto, membriſq; appoſito deinceps agglutinatur, & aßimilatur, quemadmodum & apud Gal. μεταβολὴ καὶ ἕνωσις ſeparatim ponitur. eſt igitur aßimilatio functionum naturalium ſuprema, & nutritionis abſolutio.

Alimẽtũ quo similius, eò facilius mutatur:

Gradus cõctionum

Assimilatio ult^a nalium functionũ.

Quid eſt expultrix?

EXPVLSIO contraria eſt attractioni: & fit per eoſdem meatus; ut uomitus, & deglutio per gulam. utitur autem opera tranſuerſorum uillorum, dum ea, quæ perfectè alterari non poſſunt; uel expellit, uel in alium locum conuenientem tranſmittit. inſurgit uerò, ut dixi, ſtimulata uel quantitate nimia, uidelicet pondere, uel qualitate acri excrementi, uel utraque

simul. ab hac discernenda est secretio, quam statuit Auicenna, & tuetur Auerrois: quæ non est opus propriæ facultatis, sed alias ad expultricem; ut, cum ea, quæ noxia sunt, & naturæ aduersantur; uenenata ui reijcimus: alias ad attractricem refertur; ut, cum serum sanguinis secernitur ad renes, uel craßiores humores in lienem, uel bilis in uesiculam suam: hoc fit ui attrahendi renum, lienis, & uesicula fellis. sic, cum bilis ad intestina pellitur, atque expulsionem quoque in ijs irritat: item, cum post humorum coctionem in morbis benigni, atque deprauati humoris fit secretio, ea expultricis officia sunt: expultrix enim nihil expellit, nisi natura iam à reliquis seiunxerit, aut quantitate nimia, uel qualitate molestet. hæc de facultatibus naturalibus satis.

Nonne Aristoteles VITALEM quoque, seu eam facultatem, quæ in corde est, ad naturalem refert?

FACIT *quidem, & speciosis rationibus: ac uenarum quoque originem à corde esse affirmat. quin & neruorum principium ei tribuit, ac* πρῶτον αἰσθητικὸν *statuit. sed eius sententiam medici non sequuntur; uerùm Platonis potius, qui has potentias sedibus distinguit: & naturalem in hepate: uitalem in corde: animalem in cerebro collocat. hoc autem ei, qui medica præcepta sequi ualet, tenendum, & obseruandum indicant læsiones: siquidem animalis alijs illæsis afficitur*

ut uide-

cipes facultates esse dicit. nos autem principem facultatem mentem, seu intellectum statuemus: & in hac parte paulùm à peripateticis discedimus.

Doce me de sensibus externis.

EXTERNI sensus, seu exteriores non eò dicuntur, quòd foris promineant: sed quia in subiectam rem externam incumbunt ui quadam prodeunte à cerebro per instrumenta, atque in quibusdam sensibus per media conuenientia, quibus obiecta percipiunt. numerus autem facultatum sensuum exteriorum non ex obiectorum sensibilium; sed ex organorum, seu instrumentorum differentia, seu potius quòd ad cognitionem rerũ tot modis natura sic ordinante perueniamus, sumitur. habetq; se instrumentum sensus tanquam materia: facultas ipsa tanquam forma: & sunt distinctæ facultates. eò enim, quò animal uidet, non audit: nec quò audit, gustat. porrò, quo pacto fiat sensatio, uariè disputatur. sed simpliciter hoc tenendum est per quandam συμπάθειαν uel ἀντιπάθειαν affici sensum ab obiecto potius: est enim inter sensum, & eius obiectum, quod sensu percipitur, quædam similitudo, seu conuenientia: inter motus quidem initium similitudo. sed, cum finis attingitur; dissimilitudo. ideoq; in sensu fit passio.

Sensus. v. cur exteriores dicat:

instrum, quod facultas sensuum exteriorum:

Quid est videndi facultas?

EST uis insita oculo, seu potius humori crystallino delata à cerebro per neruos ὀπτικοὺς, qua colores

per medium διαφανὲς, *seu perſpicuum excipiuntur. eſt autē humor cryſtallinus aqueo perlucido circumfuſus: ipſe quoque ex hoc quaſi concretus, atque uiſus inſtrumentum dicitur.*

Quid eſt audiendi facultas?

EST *uis transfuſa à cerebro per quinti paris cerebri neruos: quæ tanquam inſtrumento utitur aere auribus ingenito, & membrana hunc continente in intima auris capacitate, qua ſonus percipitur.*

Quid odorandi?

processus albicantes:

EST *facultas, qua à cerebro per proceſſus albicantes neruis non abſimiles, qui extra caluariam ad oſſa cribri modo perforata, nareſq; producuntur: odores cum aere inſpiratione excipiuntur.*

Quid eſt guſtandi facultas?

EST *uis, qua lingua, & palato, in quibus à tertio pari neruorum propagines ſparſæ ſunt. adminiculo carnis, qua lingua prædita eſt, ſapores percipimus, & familiaria ab his, quæ naturæ aduerſantur, diſcernimus. eſt igitur guſtus inſtrumentum terreum; ſed humoris particeps.*

Quid eſt tangendi?

TANGENDI *facultas per totum corpus ſparſa, atque diffuſa neruorum ope primum quidem ſimplices quali-*

SENSUS COMUNIS QUID

qualitates; calidum, frigidum, humidum, siccum: deinde & eas, quas tangibiles uocant; ut mollitiem, duritiem, asperitatem, lenitatem, grauitatem, tenuitatem, lentitiam, friabilitatem, densitatem, & raritatem &c. percipit.

Doce me de sensibus interioribus.

DIXI Galenum appellare partes principes facultatis animalis sensus interiores: nec mentionem facere sensus communis; sed complecti sub ea ui, seu facultate, quam imaginatricem uocant; est autem sensus communis externorum sensuum fons, & moderator: nam ab eo tanquam riuuli sensus exteriores deducuntur, & is earum functiones obseruat, atque in hunc imagines rerum haustæ exteriores sensus in cerebrum confluentes primùm excipiuntur. hic discernit nigrum ab albo: calidum à frigido: mollia à duris &c. hic internoscit similia, & discrepantia: estq; tanquam centrum, in medio sensuum exteriorum: omnes pariter admittit: omnibus accommodatus. sed Galenus tres ponit facultates, seu potentias; uidelicet φανταστικὴν, διανοητικὴν, & μνημονευτικὴν.

Sensu com. co[m]prehendit sub imaginatrice

Quid est imaginatio, seu φανταστική?

EST, quæ imagines ab exterioribus sensibus oblatas apprehendit, & singulorum sensuum obiecta discernit, atque internoscit. tribuit autem Galenus omnia imaginatrici facultati, quæ philosophi sensui communi, quem tanquam tabulam rasam statuunt: in qua nihil est descri-

describtum; sed omnium imaginum capax est, & intellectionis principium censetur. unde dicitur nihil esse in intellectu, nisi prius sit in sensu. & reuera nostra cognitio partem habet ab intellectu, partem à sensu.

Quid est ratiocinatio?

Διανοητικὴ, quam ratiocinatricem, uel cogitatricem, barbari discursum uocant, seu discretionem, est ea, quæ conceptas iam species, seu imagines à sensibus exterioribus oblatas fingit: de ijs cogitat, atque meditatur: comminiscitur aliquid: componit: diuidit, atq; ordine quodam collocat.

Quid est memoratrix?

Μνημονευτικὴ est ea, quæ id, quod à prioribus sensibus exceptum, & quasi elaboratum est, ceu in thesaurum, ut custos recondit, conseruat, atque retinet: & cum usus eius est; rursus expromit. est igitur duplex eius actio: primùm recondere: deinde recondita rebus etiam absentibus per asseruatæ imaginis repræsentationem cum præteriti temporis recordatione referre ita, ut præsens cognitio præteritæ respondeat, tanquam eius imago. requiritur igitur ad memoriam primùm, ut rem teneamus: deinde, ut sit iustum temporis spatium inter utranque cognitionem præsentem, et præteritam: tertiò præteritorum, & præsentium similitudo. hanc multùm circumstantiæ adiuuant.

Suntne

turq́; animalis; quia animalibus communis est. hanc uerò uim cerebro tribuunt; etiamsi cum alijs partibus communicet: nam in testes diffundit incendia libidinis: in os uentriculi cupediæ: in cor ambitionis, iracundiæ &c. huius obiectum est bonum opinione. de his autem si forte aliorum est alia sententia cum ijs nemo me pugnare existimet.

Quid est rationalis appetitus?

EST *is, qui cum ratione desiderat: qui refrenat importunas cupiditates, libidinis, & iracundiæ motus: & boni desiderio capitur: malum autem refugit: estq́; cum phantasia coniunctus. Hæ distinctiones etsi sunt usitatæ; tamen appetitus, qui incitat ad motum, rectè in duas partes distribuitur: quarum altera inseruit uoluntati, quæ rationis moderamen sequitur: altera cupiditati, quam Aristoteles ἐπιθυμίαν uocat sensus subsequens. ualde autem illæ inter se dißident. quæ cum impetu fertur, ὁρμὴ dicitur. estq́; uoluntas nihil aliud, quàm intellectus extensus ad faciendum, & consequendum id, quod cognoscit. hæc in brutis non est; quia uoluntas mentem atque rationem tollit: cupiditas sensum, atque corpus. illa solida bona prosequitur, & consilio mentis, locomotiuam incitat. hæc uarijs bonorum simulachris capitur: ac gestiens, & temeraria uoluptates sequitur: & ad ministerium musculos, qui uoluntarij motus instrumenta sunt, uocat. Quo pacto uerò fiat motus, deinceps dicemus.*

Suntne

Suntne alij nerui deseruientes motui, alij tactui, alij sensui?

Sensitivi:

EST quoddam discrimen ponendum: nerui enim sensui deseruientes sunt molles, ex priori cerebri parte orti. tactui autem destinati ex sexto pari neruorum cerebri in corpus producuntur: suntq; duriores his, qui sensui famulantur. adde, quòd & his μήνιγγες. s. membranæ cerebri adiunctæ sunt: quarum propagatione, atque extensione, cum non solum nerui è sexta coniugatione; uerùm etiam spinæ dorsi uestiantur, fit, ut tactui subseruiant. motui autem nerui partim à cerebro, partim è spinæ medulla prodeunt. è cerebro quidem molliores: è spina uerò duriores. Sed Galeni, & medicorum sententia est, instrumentum uoluntarij motus esse musculos, quibus uim mouentem à cerebro, & spinali medulla, quæ substantiæ cerebri cognata est, nerui per uectores spiritus aduehunt. an uerò spiritus per neruos transeant, uel uis tantùm tanquam per irradiationem; in medio relinquunt medici. hæc de locomotiua satis, quam nos ab appetitione cieri diximus, hanc tamen ab ea differre.

Restat, vt de ea, quam tu principem appellas, me doceas.

VTINAM possem: huius enim tanta est præstantia, ut diuinæ eius actiones, uidelicet, notitia uniuersalium principiorum tàm practicorum, quàm theoricorum

folio secundo seq. +

Suntne hi ſenſus diſtincti certis ſedibus?

GALENVS *non diſcernit certis ſedibus, nec Græci medici: ſed ſtatuunt ſentiendi facultatem ſeu facultates principes in toto cerebro eſſe, nec actiones ex certis locis ciere; ut Arabibus, quorum ſententiam nūc plerique ſequuntur, placet, imaginationem in priore parte: ratiocinantem in media: memoriam in poſtrema cerebri eſſe. ac, quod de medicamentorum applicandorum ratione ab ijs adfertur, non difficile eſt refutare. illud aliquam rationem habet, quod dicitur à partibus anterioribus motum incipere, & tendere ad poſteriores. ſed eiuſmodi ueſtigia in corporeo inſtrumento reſidere uix uidetur ueriſimile.*

Quare ſomnus dicitur quies ſenſuum?

QVIA *non ſolum exteriores; uerùm etiam interiores ſenſus perfruuntur in ſomno quiete: cum enim uigiliæ ſint ſenſus incitationes, atque motus; cerebrū, quod* πρῶτον αἰσθητικὸν, *cum Galeno ſtatuimus; defatigatum motu, quietem requirit. inde ſomnus, cui materiam ſuaues uapores in cerebrum ſublati præbent, obrepit: & ad recreationem totius corporis, animæ etiā quandam quaſi libertatem animal quiete perfruitur. ea tamen quies in ſomnijs, quæ ſunt ſenſuum interiorū agitationes, cum uidelicet uarijs imaginibus per quietem exercentur; ſæpe turbatur. unde non rectè dictum à quodam colligimus ſomnium ſpirituum, & ſanguinis*

guinis esse quietem: nam τὸ ζωτικὸν, καὶ τὸ κινητικὸν in somno non cessant. de his aũt alio loco dicendum est.

DIXTI IN CEREBRO ESSE facultatem mouendi; quid est illa?

Rectius dices eam esse à cerebro uim per neruos in musculos immissam, quàm in cerebro. sed, priusquam de hac dicam; hoc sciendum est per imagines illas animo conceptas, & consideratas, excitari uim quandam: eam Græci ὁρμὴν uocant: Latini appetitionem. estq́; ea sentientis facultatis, seu animæ effectio, qua quicquid uiuit, præditum est; sed certo discrimine: alia enim est appetitio naturalis: alia animalis: alia rationalis: nam animalem, & rationalem quidam propter brutorum motus discernunt.

Quid est naturalis appetitus?

EST *ea uis, quæ unicuilibet membro familiare nutrimentum aduehit, atque attrahit. eaq́; ex hepate in reliquas corporis partes tanquam ex fonte diffunditur.* Hanc Galenus. IX. Methodi *uegetatiuam uocat: & .I. de causis symptomatum dicit. Appetentia est sensus penuriæ. hanc philosophi plantis tribuunt.*

Quid est appetitus animalis?

APPETITVS *animalis, seu sentiens est, quo ad illud, quod sensu apprehendimus, ducimur. dici-*

corum: discrimen honestorum, & turpium: gubernatio miranda reliquarum uirium, futurorum prouidentia, immortalitas, cum à corpore dissoluta est, uix umbram etiam monstrent. sed tamen immortalem hanc, & incorpoream statuimus, ac imaginem diuinitatis referre, atque principem, & reginam omnium facultatum, quæ sunt in corpore, esse arbitramur. aĩa princeps immortalis:

Quid igitur est, vel quo nomine appellatur?

VOCEMVS sanè animam rationalem: & id, quod est, statuamus esse, simplicem, incorpoream, separabilem à corpore, & diuinitus huic immissam, atq; post separationem immortalem. Latini mentem, Græci νοῦν uocant. Plato mentem in anima, & animam in corpore statuit. appellatio autem intellectus, uel intelligentiæ propemodum eius actioni conuenit. quam duplicem faciunt: unam, quæ à sensibus certo iudicio sumit imagines tàm uniuersalium, quàm particularium: seu potius ab ipsa cogitatione elaboratis singularibus accipit: ex quibus communes imagines facit. hanc intellectus patiens qui dicunt: aliam uerò actionem planè diuinam intellectum agentem uocant, uidelicet, cum dijudicat uera à falsis: æqua ab iniquis: honesta ab inhonestis. huic insitæ sunt tàm theoricæ, quàm practicæ notitiæ. hic ratiocinatur, atque alia ex alijs certo modo colligit, eaq; contemplatur: quæ contemplatio sapientia dicitur. hic rectè consultat de actionibus, cuius

AĩA PRINCEPS seu rõnalis:

Intellectus patiens.

Intellectus Agens:

Prudentia

ius actus prudentia uocatur. hic notitias artium excitat, atque ipsas artes certo ordine constituit, cum sit intelligendi principium certo ordine sine mutatione: non secus quàm lumen est uisibile maximum, & principium uidendi citra mutationem rerum uisibilium; ut inquit Aristoteles. 3. de Anima. hic denique (quod hominis est proprium) ueré reminiscitur non indiuiduorum; sed notitiarum uniuersalium. unde & Plato ait: Nos reminisci artium, non discere eas. hic uerò νοῦν πρακτικὸν, quæ cum intellectu una est substantia, atq; βούλησις, seu uoluntas dicitur, coniunctam habet: eaq; proæresin,, seu electionem. unde fons omnium uirtutum, atque uitiorum cooperante recta ratione emanat. etsi uerò ad suas functiones obeundas instrumentis non indiget; tamen toto corpore tanquam proprio domicilio, quod instrumentis uariis instructum est; utitur. ac, quò illa præstantiora sunt; eò & actiones præstantiores eduntur. corpore autem dissoluto, cũ non amplius sensuum ministerio, aut instrumentorum opera utitur; in æternam beatorum sedem recedit, & propter filium Dei in cuius meritis acquiescit, & placatum sibi Deũ secundum promissiones credit: rursus spiritu sancto illustrata, ad cœlestia fertur, & Deo patri offertur, atque iungitur: & perpetua, salutariq; uita, ac beatitudine sempiterna perfruitur.

CHRISTIANUM DE ANIMA DOGMA

DE

DE FVNCTIONIBVS, SEV ACTIONIBVS.

DIXIMVS *de facultatibus, seu de potentijs: nunc ordinis ratio requirit, ut earum functiones, seu actiones consideremus.*

Quid est ἐνέργεια. s. actio, seu functio?

EST *motus actiuus, seu efficiens à facultate procedens: eiq; commensurata. ita enim Galenus.* 1. *de facultatibus naturalibus, & Methodo therapeutices definit. illud uerò, quod ipsam actionem consequitur, opus, seu* ἔργον *dicitur, ut à potentia seu facultate nutrice procedit functio, seu actio dicta nutritio; hæc relinquit opus, uidelicet chylum, sanguinem, carnem. cum autem à nobis dictum sit, tres esse potentias, naturalem, uitalem, & animalem; consequitur tot esse functiones, seu actiones.*

ἐνέργεια .i. Functio

opus functionem sequitur.

Doce me de naturali.

OSTENDI *potentiæ naturalis distinctionem, uidelicet in generatricem, nutricem, & auctricem. ideoq; de actione generatricis, quæ est generatio primo loco agendum est.*

Quid est generatio?

GALENVS. 2. *Methodi generationem* ὁδὸν εἰς οὐσίαν. *i. uiam in substantiam esse dicit, & genus eius*

.i.de facultatibus naturalibus alterationem statuit: et motum ad substantiam definit. sed quidam subtiliter motum esse negant, & de sententia Aristotelis, quæ est in octauo Physicorum, finem motus esse dicunt: cum tamen ipse Aristoteles.4.de cœlo, motum ad substantiam uocet: et alibi mediam esse inter τὸ εἶναι, καὶ τὸ μὴ εἶναι dicat. sed omissis rixis appellemus sane cum Philosopho progressionem in speciem, uel transmutationem ex alteratione, formationeq; compositam, quæ ad nouam substantiam producit: seu qua substantialis forma in materia acquiritur. est autem uel totius, uel partis.

QVOMODO FIT GENERATIO TOTIVS?

IVNCTA semina paternum, & maternum, quæ sunt quasi excrementũ utile totius corporis, & à præcipuis partibus corporis, in testes per uasa σπερματικὰ deducuntur: atque in ijs ad ζωογονίαν. s. generationem animalis præparãtur: formamq; accipiunt. s. fiunt substantia crassa, colore alba, spiritu plena, inde etiam spumosa: calorem insitum cum spiritu habent, in quibus naturalis, atque sentiens uis insidet, & generationis nostræ principia sunt. hæc, cum in utero repurgato coeunt, & retinentur; fit animantis conceptio. est autem conceptio propria uteri actio, qua seminum potestas exuscitatur, atque insitum munus exequitur. sicut, cum terra semina sparsa, atque recepta fouet: deinde

inde excitat, atque producit; ita uteri uis seminis uim excitat, & ad actum deducit. habet autem, ut pauló anté monui, generatrix duas subseruientes facultates; uidelicet alteratricem, seu immutatricem & formatricem: quæ edunt actiones, uidelicet alterationem, & formationem. alteratio est immutatio seminum, & sanguinis materni in formam embryonis. huius mutationis, seu corruptionis, ut philosophi loquuntur, initiũ à forma antiqua, quæ in semine est, ponunt. & Auerroes inquit. non cessant partes spermatis recedere, & partes hominis fieri, donec tota forma hominis perficiatur. iuncta autem semina materno sanguine, qui per uenas ad umbilicum insertas una cum spiritu per arterias uenis iunctas adfluit, augentur. atque inde membra carne prædita, sicut σπερματικά *semine aluntur: hoc modo per uenas, & arterias, quæ, ut dixi, per umbilicum tendunt, conceptum in utero augetur. hîc uerò formatrix quoque est in officio, & ad diuersorũ in semine elementorum in unum conuentu ad primam diuersorum membrorum contemperationem utitur. primis autem sex diebus in semine quasi lacteo formantur fibræ: diciturq; ea massa* ἔκρυσις. *cui postea aspergitur, atq; adhæret sanguis: & uocatur* ἔκτρωμα. *Cũq; senarius numerus sit* τέλειος, *quod eius partes sexta uidelicet, tertia, & dimidia. s. 1. 2. 3. eundem constituunt. hic cum ad se redit, uidelicet trigesimo sexto die ordine diuino, tum membra sunt formata; tunc uerò nutritio, atque auctio non cessant, donec partus edatur.*

Facultas generatrix, alteratricem, & formatricem habet:

Auctio embryonis fit ob maternum sanguinem:

primi sex conceptionis dies:

partus quando fiat:

id, quod fit; cum fœtus grandior factus, & copiosius nutrimentum appetens, se distendit, ac secundinas rumpit. editur autem, cum sol ad quadratum aspectum loci, quē tempore conceptionis tenuit, seu in antecedentia peruenit, hoc est septuagesima secunda parte dempta à signifero, seu Zodiaco, qui 365. partes continet: quas tot diebus, & quarta diei parte suo cursu perficit. ideò tempori partus, quod est. 274. dierū, aliquot sæpè horæ addendæ, uel subtrahendæ sunt, donec Sol ad quadratum perueniat. qui autem dies partus more Græcorum, qui tempus τεσσαρακοστὸν celebrabant: ante quod grauidis non licebat in templum progredi, ad numerum septenarium referunt; ij numerum. 7. per. 40. multiplicant, & constituunt. 280. dies. s. hebdomadas. 40. sed plerunque primo istius hebdomadæ die. s. à conceptu. 274. editur infans: non nunquam paucioribus diebus pro ratione caloris, atq; aliarum causarum, de quibus plura monere artis medicæ Tyronem non oportet. forma autem infantis etsi à formatrice est; tamen sæpe à φαντασία, & cogitatione matris inducitur; ut exempla & historiæ declarant. de reliquis, quæ ad generationem spectant; ut quo pacto anima inseratur corpori: item quomodo spiritus, & facultates naturales à semine propagentur, docere non est nostri instituti.

274 dies

forma infantis:

Quid appellas generationem partium?

GENERATIO est alteratio ad substantiæ pro

ductionem

ductionem, quæ ut Aristoteles dicit primo de ortu fit corruptione formæ, quæ substantia est: sed Auerroes exitu formæ de potentia ad actum. cum autem Aristoteles. 3. Physico. actum eius, quod est in potentia quatenus potentia, motum definiat, nec à mutatione separet; non omninò uitiosè generatio motus appellari potest: & propterea contra Auerroidem in tempore fieri statuendum. sed his mißis, cum partes totius naturam obtineāt; fit eodem modo in partibus per alteratricem, & formatricem, ut in toto generatio. peculiariter autem agitur in subſtātiæ facultate oßifica, neruifica &c. quæ uerò sit singularium partium generatio, conformatio, substantia, quantitas, numerus, figura, situs, colligantia, actio & paßio, ex alijs scriptis petendum est.

Doce igitur me de facultatis nutricis actione.

EA *est nutritio. s. nutrimenti cum nutrito perfecta aßimilatio. Dico enim nutritionem, naturalem alimenti transmutati unionem. Monuimus autem huic subseruire quatuor facultates; uidelicet attractricem, retentricem, concoctricem, & expultricem; totidem igitur erunt in nutritione actiones. attractio, cum incitatur à naturali appetentia, quæ fit, cum calor absumpsit nutrimentum conueniens, atque aliud expetit: motus eius fames dicitur, est autem fames, ut Galenus definit, sensus suctionis uenarum: nam, cum humanum corpus non solum augeatur; uerùm continuè dissoluatur; membra semper à uenis ad dissoluti restitutionem*

NVTRITIO:

FAMES:

humorem petere necesse est : uenæ rursus ab hepate trahunt. hinc mesaraicæ chylum exigunt. inde uentriculus contrahitur, & ab istius suctionis sensu excitatur appetentia, quæ fames dicitur. ea uerò interdum uel propter melancholicum humorem delapsum in uentriculum: uel acidam pituitam in eo collectam fit uehementior, atque præternaturalis: sicut remißior quoq; propter auctam pituitam dulcem, seu potius insipidam, quæ aliquam rationem nutrimẽti à cibo orti habet. hinc Galenus inquit sine ciborum opera neminem nec in secunda, nec in aduersa ualetudine uiuere posse. ut igitur omnibus animalibus partibus quemadmodum Galenus. 3. de facultatibus naturalibus docet; desiderium quoddam, quam appetentiam dicimus, conuenientis qualitatis insitum est: ita uentriculo alimenti appetitio. fit autem alimenti quædam præparatio in ore primum: nempe calore oris, atque tunicarum eius, quæ cum uentriculi tunicis adfinitatem quandam habent. frangitur etiam, & comminuitur cibus dentibus: quã cibi contusionem Aristoteli coctionis nomine appellare libuit. deinde agitatione linguæ deijcitur. œsophagus uerò hunc trahit uillis rectis pellentibus eum uillis, seu fibris transuersis gulæ, seu laryngis. ita alimentum. s. cibus, & potus demittuntur in uentriculum; ut appetentiæ naturali satisfiat. retentrix igitur facultas deinceps est in officio, ac ob similitudinem quandã assumptum cibum detinet, inseruientibus ad hoc fibris obliquis primæ tunicæ: ut uentriculus alimentum complecta-

Fibræ obliquæ retentionẽ cibi in uentriculo faciunt:

plectatur, donec fiat concoctio. hunc uentriculi complexum, quo alimentum amplectitur, clausionem eius uulgò uocant, cum scilicet in se planè contrahitur ita, ut nec orificium superius hiet (dummodo uentriculus naturaliter sit adfectus,) nec inferius, seu potius ad latus positum, scilicet pylorus sit apertus. eo igitur temporis spatio facultas naturalis concoquens cibum mutat non ope fibrarum; sed caloris, & spiritus, atque ui innata uentriculo. confert tamen aliquid huic moderatus calor membrorum circumiacentium; etiamsi chylosis. s. coctionis in uentriculo calor, & insita quædã uis substantiæ uentriculi causa sit. duo autem in hac coctione uentriculi concurrunt: primò comminutio, & primæ formæ in alimento corruptio. ad quam quidem actionem plurimùm calor membrorum circumiacentiũ facit. secundò alimenti in chylum mutatio: quæ fit sola ui insita uentriculi. atque hæc concoctio Aristoteli ἕψησις dicitur. etsi uerò uentriculus sanguine nutritur; tamen & suauiore parte chyli perfruitur: ac post eam uoluptatem, officio transuersarum fibrarum, quæ in secunda tunica conspiciuntur, chylum excludit, atq; in intestina demittit: in quibus licet per fibras transuersas, quibus intestina prædita sunt, expellendi uis ualida sit: tamen circumuolutiones intestinorum faciunt, ne chylus antè dilabatur, quàm id, quod succulentum in eo est, per uenas mesaraicas, ut dixi, extrahatur. tandem excrementa in infima & craßiora intestina reijciuntur, quorum extremum musculo, quem

H 4 σφιγ-

clausio uentriculi:

Coctio fit caloris ope:

Ventriculus sanguine nutritur, et chylo suauiori fruitur:

σφυγκτῆρα uocant, munitum eſt, ac propterea deiectio quidem inteſtinorum naturalis: retentio uerò uoluntaria eſt. hæc de prima coctione ſatis. porrò hoc obſeruandum eſt, etiamſi aſſumptum nutrimentum ubique mutetur; non tamen ubique coquitur: ſed tantùm in ijs locis, in quibus diutius ſubſiſtit: concoctio enim eſt perfecta in alimento à natiuo calore ſubſtantiæ mutatio. quam, ut præcedit præparatio: ita excrementi depulſio ſequitur. quemadmodum manifeſtū eſt in ore alimentum uentriculo præparari, et excrementum eius per tria craſſiora inteſtina inferiora deijci. cum autem tria ſint loca, in quibus alimentum non ſolum diutius hæret; ſed etiam perfectam mutationem ſuſcipit, uidelicet, uentriculus, hepar, & ſingulæ partes: triplex quoque concoctio à medicis ſtatuitur. primæ inchoatio, ſeu præparatio eſt in ore: perfectio in ſtomacho: abſolutio in inteſtinis; ſiquidem & inteſtina quadam ui coctrice prædita ſunt, & utile aliquid à chylo ad ſe deriuant. excrementum uerò, quod Græci σκῶρ, & ὑποχώρημα: Latini ſtercus appellant, in cœcum inteſtinum, ac ab hoc in κόλον, atque rectum deijciunt. ſed hæc de prima coctione ſatis.

Triplex cõcoctio:

Doce me de ſecunda, quæ fit in hepate?

CVM chylus in inteſtina delapſus eſt; ui attractiua hepatis, atque uenarum fertur ad hepar per uenas meſaraicas, & tranſitum iuuat ſuccorum tenuitas, quæ eſt à potu. iſq; alimenti tanquā uehiculum exiſtit. etſi

Potus ē tāq̃ uehiculū alimentj:

uerò

uerò tenuitas ad transuectionem plurimùm faciat, quē-admodum & in medicamentorum usu, & intemperatis hominibus, qui promptè potum crudū per urinam deijciunt, uidemus: tamen statuimus uenas mesaraicas, quæ intestinis insertæ, sunt elicere, atque trahere succum è chylo ui sua naturali, & incitari appetentia naturali, quæ est in hepate. distributio autem, seu deductio succorum per mesaraicas ad iecur ratione potius, quàm sensu cognoscitur: sunt enim usque adeò tenues uenæ, ut in mortuis animalibus itidem, ut in uesica earū meatus planè claudantur. unde & intestina inflari possunt. ac licet uenæ conspiciantur in mactatis animalibus; tamen in illis non chyli, sed sanguinis potius pars uidetur. unde manifestum est quamlibet uenam mesenterij sanguinem continere, ac chylum: & nutritioni, ac distributioni subseruire: sed superiores distributioni magis. id quod purgationes indicant, in quibus tracti humores à medicamento ad uicina intestina uentriculo confluunt: inferiores uerò expulsioni magis aptas esse; ut apparet in cruentis dysenterijs, in quibus inferiora intestina exulcerantur. cæterùm præparatio secūdæ coctionis fit in dictis uenis mesaraicis. hāc statim subsequitur attractio iecoris per uenas. excipit autem chymum uena illa, quæ in aditu hepatis est, & πύλας, seu uena portarum dicitur. ea per angustos, & tenues ramos in ipsum hepar chymum paulatim distribuit. transuectio autem ista tarda propter uenarū exilitatem, retentricis facultatis actionem quasi obtinet. pro-

Humores ñales simul nascuntur — ς

net. propria uerò hepatis substantia calore suo innato, & ingenita ui sanguinem conficit: & eius sibi portionem benignam adsciscit. sunt autem in sanguine propter alimentum diuersæ partes: quædam pars tenuis, & lenis, hanc bilem appellant: quædam fœculenta, & crassa, hanc melancholiam: quædam nondum satis cocta, hanc pituitam. porrò hi quatuor humores, seu succi, procreantur calore hepatis in hepate, & naturales humores dicuntur. Quorum uerò generationis locus alius est ac in hepate, nec efficiens calor naturalis, hi præternaturales appellantur. simul autem nascuntur, & diuersitas non est à calore, sed ut dixi, à diuersis chymi partibus, seu à materia. unus autem calor uidelicet naturalis diuerso modo, in diuersas partes materiæ agit, & effectio eius αἱμάτωσις dicitur, quæ tota substãtia diuersa est à χυλώσει, quæ in uentriculo fit. præparatio autem, ut dixi, eius fit in uenis, quæ quandam coquendi sanguinis uim à suo fonte, uidelicet hepate, acceperunt. excremẽtum uerò triplex. nam serosum separatur & trahitur per uenas emulgentes, à membris, ac in uesicam profunditur, quæ etsi fibris transuersis, eius etiam serositatis acrimonia stimulata, hanc expellit: musculo tamen clausa est, unde urinæ emissio uoluntaria censetur. deinde, ut massa sanguinea, priusquam per uenas in totum corpus uehatur, repurgetur à natura, non tantũ tenuioribus, & acrioribus humoribus. uerumetiam fœculentis quoque & crassioribus qui tanquam excrementa habentur & ijs

in loca

Sanguinis partes:

Humores naturales. iiij.

Præternales.

Trip^x secundæ coctionis excrementum: serũ, bilis, melia:

in loca propria in quæ deducantur, sunt fabricata. bilis, quæ tenuißima & calidißima portio maßæ sanguineæ est, in coctione acrior, & quasi ignea facta in uesiculam fellis occulta eius ui, suisq; fibris adiuta trahitur: cumq; turgescit; in intestina superfluum deponit. inde nõ solum excrementum primæ coctionis tingitur, sed eius acrimonia uis expulsiua irritatur. humor autem craßior melancholicus dictus; quia calore hepatis non potuit perfectè immutari; allicitur, atque trahitur per uenam, quæ à iecore in lienem transit, ab ipso liene: puriorq; eius pars lienem nutrit. craßius autem huius excrementum in uentriculum transmitti Galenus 5. de usu part. & 3. de fact. nat. dicit: atque eo uentriculum firmari, & appetentia incitari, & per intestina deijci quidam censent. hæc etsi ita magno consensu affirment multi; tamen Anatome rarò ostendit, uias, atque meatus tales, per quos poßit excrementum craßius in uentriculum è liene expurgari. licet enim sinistro uentriculi lateri uenæ inserantur: hæc tamen non à lienis corpore prodeunt; sed ab ijs uenis, quæ lieni implantantur: ac, si quid per illas in uentriculum defertur; fundo non orificio, in quo est appetitio, inijci consentaneum est. quidam tamen insignis magnitudinis uenam à liene ad os uentriculi tendentem, sanguine plenam se in sectione uidisse prædicant: & per uenæ portæ ramum acidum humorem stimulum famis ad uentriculum deferri existimant. Galenus etiam aliquid in omentum transmitti posse com. 7. Aphor. 55. affirmat.

Quare

Bilis.

Melanc. hum.

D. uenis à Liene ad uentriculum:

Quare de hoc quidem cogitandum amplius: ac potius naturæ arcana admiranda censeo; siquidem nec meatus uesicæ, nec hepatis per pulmones excretio satis ex Anatomicis patent.

Habetne pituita, quæ etiam est humor recrementosus, proprium receptaculum.

PITVITA *illa, quam non naturalem appellamus, in stomacho, atque intestinis locum proprium habet. sed illa, quæ in hepate generatur, & naturalis dicitur; etiamsi nondum sit elaborata, & perfectè cocta: tamen cum sanguine uehitur, & tandem concoctione in eum transit, ut diximus: ac differt non solum à pituita non naturali, quam in uentriculo generari constat: uerùm multò magis ab ea, quæ per nares, & palatum defluit, atque* βλέννα *.s. mucus, aut* κόρυζα*, cum destillat; dicitur: ea enim cerebri excrementum est, quod ex uaporibus ascendentibus augetur. cumq; ex uniuerso cerebri corpore eijcitur; per nares, ac palatum excernitur.*

Natis pituita in Hepate, pt natis uero ex Hepar gnat:

βλένα qd sit:

Doce me de tertia coctione, quæ fit in singulis partibus.

ABSOLVTA αἱματώσει *in hepate, sanguis in uenam, quæ in conuexo iecinoris sita est, & caua appellatur, prolabitur; utq; facilius uehi, & per uenas duci poßit; pars serosi humoris, quæ antea diximus, ad renes per ductus uenarum emulgentium trahi, massæ sanguineæ adiuncta est: eam Hippocrates* ὄχυμα τροφῆς *appellat.*

CAVA VENA

appellat. transfertur autem ſanguis, tanquam è fonte per ſuos canales ab hepate. primum quidem per cauā uenam: deinde per propagines ab hac ortas in uniuerſum corpus, omnesq; partes æqualitate, ſeu proportione Geometrica, ut uocant, quæ iuſtitiæ diſtributiuæ conuenit. is uerò ſanguis, licet à ſuperuacaneis humoribus ſit purgatus; non tamen purus, & ſyncerus eſt, ſed in ſanis corporibus ea proportione conſtat, ut in tota maſſa excellat optimus ſanguis: ſecundum locū obtineat pituita dulcis, quæ in ſanguinem conuerti poteſt: tertium melancholicus ſuccus. omnium autē paucißima ſit bilis, quæ propter amaritudinem nutritioni inconueniens eſt, & ſanguinem calidiorem iuſto reddere poteſt. cum uerò aliquis iſtorum humorum proportione ſanguinem ſuperat; colorem corporis fœdari neceſſe eſt: ſiquidem color humorū index cenſetur. hinc uidemus, cum pluſculum bilis ſanguini admixtum eſt; icterum conſequi. hic tyrones medicinæ hoc monendi ſunt, magno cum periculo corpora pura medicamētis purgantibus uti: & ſanguinem, ac carnes colliquari per medicamenta; cum non reperiunt humorem, quem expurgent. item fugiendam eſſe ciborum uarietatem, & diligentiam in uictu adhibendam, ut cibus ſit εὔχυμος. ſ. ex quo optimi ſanguinis plurimum generetur. ut autem ad inſtitutum redeam; trahunt membra ui naturali, & ſibi familiare alimentum alliciunt: fitq; ſanguinis. ſ. maſſæ ſanguineæ, in qua quatuor humores proportione quadam defæcati continentur elaboratio,

Sanguis s[illegible] miſtus.

Color corporis, & humorū index:

Et humore alimentario uenas egresso, fit Ros, ex quo agglutinato, fit assimilatio:

a gnatione secundar. humiditatum:

& præparatio tertiæ coctionis. deinde in uenis exilibus progeneratur humor alimentarius, ex quo ordine quatuor humores secundarios Auicenna, & qui eũ sequuntur, fieri putant. primò enim humor, quem alimentarium appellamus, è uenis prolabitur, & in roris speciem cogitur. aspersus hoc modo deinde agglutinatur: agglutinatus in partis substantiam trãsit, & perfectè aßimilatur; modò corpus sit sanum. nam in hydrope ἀνασάρκα non fit ista aßimilatio in carne musculorum: alia autem fit in osse, alia in cartilagine, uinculo, membrana, neruo &c. caro quidem promptè: ossa, cartilagines, &c. quorũ substantia sanguini dißimilis est, minus. hæc autem aßimilatio totius nutritionis finis est, atque absolutio. porrò excrementa huius tertiæ coctionis sunt ea omnia, quæ per cutis spiracula, poros appellant, efferuntur, & cuti inhærescũt; ut sordes, & sudores, qui sunt reliquiæ serosi humoris cum sanguine uecti, si modo non immodicè, & præter naturam; erumpant. immodici enim sudores, ueluti pus, & sanies morbosi excrementi rationem obtinent. sic cum in balneo, exercitijs immoderatis, aut æstu copiosè sudor profluit; sæpè cum serosis humoribus utiles quoque dißipantur. uerùm disputationem de sudore, quæ Galeno cum Diocle est explicatam studiosi à Manardo habent. sanguis autem nisi erosis, ruptis, aut reseratis uenis non prolabitur: idq; cũ fit; statim concrescit fibrarum ope. cum autem ei putredo inest, & fibræ corrumpuntur; nõ quidem iam in grumã transit: sed de-

qm nec fit unio, ut. d. Gs. p.o d. facul. natib. c. xj:

ASSIMILATIO TOTIVS NVTRITIONIS ABSOLVTIO EST.

SVDORES MORBOSI QVI:

DE EXCREMENTIS CONCOCTIONIS TERTIÆ:

Sanguis adeo putris, ut fibræ corrumpatur, in grumu nõ transit, id. n. fit fibrarum ope.

ſed deteriorem ſpeciem obtinet. eſt aũt ſanguinis proprium extra uenas concreſcere: reliquorum humorum non item. poſtremò pili, & ungues tertiæ huius coctionis excrementa cenſentur. pili quidem fumoſum: ungues uerò à neruis, arterijs, ligamentis, & membranis ortum. hæc de nutritione, in qua obſeruandum primæ coctionis inſtrumentum eſſe os, gulam, uentriculum, & inteſtina: ſecundæ uenas meſaraicas, hepar, & cauam uenam: tertiæ uenas capillares, partes ſimilares, & ex his conſtitutas organicas. quæ uerò ſit lactis in mammis, aut ſeminis in teſtibus progeneratio, dicere non eſt huius inſtituti. Ariſtoteles duas tantùm coctiones facit in libro de iuuẽtute, & ſenectute: primam in uentriculo: alteram in corde, in quo ſanguinem perfectè elaborari cenſet, & ab eo ad diuerſas corporis partes, ut illo augeantur, & nutriantur, tranſmitti. In membris uerò non fieri coctionem; ſed nutritionem docet.

Pili. Vngues. quod sint excrementa

Ariſt. de concoctionibus opinio:

Reſtat, ut de auctricis actione me doceas.

HAEC dicitur actio, quæ eſt ſolidarum corporis partium per omnes dimenſiones: longum, latum, profundum, forma propria, & continuata ſeruata ampliatio. ut uerò finis nutritionis eſt aßimilatio; ita auctionis ampliatio, ſeu extẽſio, quæ eo modo fit à natura, ut nulla pars corporis diuellatur: ſed omnes æqualiter ſecundum omnem dimenſionem extendantur. rectè uerò incrementum appellatur: quod eſt eiuſdem formæ per amplio-

Finis Auctionis ē ampliatio:

ampliorem materiam extensio accedente eiusdem generis materia. efficiens causa eius est calor innatus, qui non dissoluit, aut demolitur; sed in maiori quantitate deperditum restituit, materiale nutrimētum, facta nutritione reliquum, formale ipse motus in quantitate. finis, ut in omnes dimensiones crescat, & roboretur corpus. habet autem & hoc incrementum suum terminum in ἀκμῇ. nec pinguefactio, aut moles in κακοχυμίας auctiones censendæ sunt. dicam hîc pauca de attractricis actione, quæ quidem non à sola siccitate est; sed natura, quæ desiderio conuenientis pleni nūquam uacat. est igitur semper in officio, nisi uel meatus, per quos fertur nutrimentum, sint angustiores; ut in adultis, qui propterea etiam minus augentur: uel alimentū crudum frigidius, & crassius; ut in senibus, in quibus & calor innatus præcipuus attractionis effector debilior est.

Dic de retentrice.

ACTIO est retentio: eaq; duplex, uel alimenti planè mutati: uel nutrimenti in substantiam mēbri conuersi. huic etsi siccitas subseruiat; tamen familiare sibi natura ui sua retinet, ut, quod absumptum est, restauret: etiam excrementorum retentio sua utilitate non caret.

Dic de expulsionis actione.

FACTA coctione natura sibi simile asciscit: dissimile autem & inconueniens nutritioni, & accretioni re-

ni remanet. id ui expultricis, & contractione, quæ fibrarum ope fit, cum fluxibilitate ipsius materiæ impetu, & aptitudine corporis natura in sua actione adiuuatur, expellitur. porrò expulsiua certis instrumẽtis utitur; ut cum uenter exoneratur, uel urina excernitur, musculis: item cum pulmo expurgatur: aliæ partes uillorum transuersorum ope, ut cum stomachus per uomitum, quod molestat, reijcit. faciunt autem ad expulsionem copia, materia, pondus, leuitas, & impulsio spirituum; ut in sudore. denique quod excrementa cum partibus nullam, aut exiguam similitudinem habent: sicut enim fit attractio propter similitudinem; ita expulsio propter contrariam causam, quemadmodum in explicatione doctrinæ de sympathia, & antipathia ostendemus. cum autem naturæ uis infirmior est, quàm ut exonerare se poßit; tum medicamentis purgantibus necessariò utimur.

Expulsione adiuuatiã:

Medicametis quando utẽ dic

De actione potentiæ vitalis nunc me doceas.

VT in reliquarum facultatum sedibus quædã actiones in ipsa sede, seu membro sunt: quædam uerò ab ipsa progrediuntur: sic in corde generatio caloris, & spiritus uitalis sunt propriæ actiones cordis in ipso. motus autem, qui efficitur dilatatione, & constrictione, quem pulsus arteriarum sequitur, à corde esse censetur. adfectus uerò rectius paßiones, cordisq; actiones dici Montanus asserit.

caloris, & spiritus uitalis gnatio, c cordis propria: adtio:

Declara hæc, & primum de calore, & spiritibus cordis tuam sententiam exponas.

De calore hoc tenendum, etsi sint uiri non indocti, qui unicum calorem innatum, seu naturalem in homine inesse putent, & eum modò naturalem, seu innatũ, modò uitalem appellent: tamen reuera hanc distinctionem esse obseruandam calorem, qui solidis partibus cũ humido primogenio inhæret, & nutrientis animæ instrumentum est, esse à semine: & analogiam, ad cœlestem calorem obtinere. de hoc tum in multis locis loquuntur Hippocrates, & Galenus: tum & suprà perspicuè meam de eo sententiam studiosis exposui. hic quò copiosior est, eò uegetatiuæ animæ effectiones meliores. huius enim copia (ut uidere est in pueris) nulla molestia corpus afficit; sed omnes actiones uegetat, & firmat: estq; ineunte ætate copiosissimus. alius autem est calor ex ipso sanguine ortus, qui insitum calorem fouet, atque excitat. cuius fons, & origo in corde est: è quo in uniuersum corpus dimanat. is etsi à Galeno, et reliquis medicis interdum naturalis, uel innatus quoq; dicitur; tamen proprio nomine uitalis: et quia per arterias membris infunditur; à medicis infusus, atque influens appellatur. hic, cum auctus à sua temperie recedit, uel spiritibus calefactis; ut in febribus ephemeris: uel propter humorum putredinem; ut in febribus putridis: uel cum solidæ partes præsertim cordis permanentem calorem, seu hecticum obtinent, & à corde in re-

in reliquum corpus effunditur; febris proxima eaq;, quam coniunctam uocant, causa est. ideoq; non parum sua intemperie, insito quoque calori, si uel sit continuus, uel per crebra interualla sæpius redeat, uel à uenenata qualitate, aut pestilenti seminario afficiatur; perniciosius est. cum autem aliqua pars corporis propter eas causas, quæ calorem præternaturalem inducere possunt; incalescit, nec tamen hic calor communicatur cordi, & ab hoc in uniuersum corpus effluit; nequaquam febris causa dici potest. cæterum hic calor, cum secundum naturam se habet, & nullo excessu præditus est; naturalis à medicis dicitur. cum uerò excessu aliquo naturæ infensus, siue sit ab obstructione prohibente transpirationem, & putrescente materia: siue occursu uaporis uenenati, & pestilentis: siue alijs de causis; præternaturalis efficitur, & dicitur. atque hæc de calore tenere ad explicandam doctrinam de febribus utilißimum est. de spiritu autem uitali, qui inseparabilis comes est caloris, res ad eundem modum se habet, & de eius generatione suprà dictum est. hoc iterum monendum supercalefactis spiritibus à causis, quæ uocantur προκαταρκτικαὶ; ut calore Solis, defatigatione: & per arterias calorem ferri in omne corpus, & eã febrem, quæ ephemera, seu diaria dicitur, efficere. porrò, ut hic calor insidens spiritui per uniuersum corpus poßit meare; totum est transpirabile: innatus enim calor resoluens materiam concauitates, & poros facit, qui, dum non sunt occupati alimento; aere implentur:

[Marginal manuscript notes: "influens" (above "calor"); "De calore igitur infuso, no aut de innato, dici pot ipm ex nati posse ad igneum, ac febrile conuerti"; "De prohibita transpirone"; "De spiritibus cordis."]

cum uerò in uenis, & alijs locis uiscoso, & excrementitio humido obducuntur; prohibetur calori transpiratio, & in præternaturalem conuertitur: unde putredo sequitur. indiget enim non solum insitus calor, et spiritus, qui præcipuè animal à putredine peßimo hoste uirium, è solidis partibus in humores spirans conseruat, ut spiracula sint aperta: nec humorum multitudine, uel lentore obruātur, atque obducantur: uerùmetiam iste naturalis, seu uitalis calor, de quo nunc agimus, transpiratione, cumq; ea destituitur, suffocari animal necesse est. primò propter denegatam refrigerationem; ut uidemus in balneo, æstu, atque exercitio immoderato: quæ cum sint immodica; extinguunt hanc flammam immoderata uentilatione: itidem ut externa flamma immodica uentilatione extinguitur, & mediocri conseruatur. secundò quia aere perpetuo, tanquam pabulo calor indiget. hinc non solum in aquis; uerùm in aere quoque interceptis meatibus corpora suffocantur. postremò quia, ut, nisi sit fumi expiratio; flamma ab hoc extinguitur: ita, nisi hic calor fumosa excrementa poßit eijcere; ipse quoque emoritur. sed de respiratione, & pulsu nunc agemus.

Calor, et spiritus insitus indiget meatibus apertis: indiget hoc eodem presidio et calor influens

DE MOTV CORDIS, ET arteriarum pulsu.

MOVETVR cor uitali facultate perpetuò: fitq; diastole, & systole cordis. in diastole quidem, seu dilatatione

DIASTOLE.

latatione cor recipit intra se aerem à pulmone haustum & præparatum, qui calorem eius non tantùm contemperat; sed et ad spirituum uitalium conseruationem utilis est. elicitur item ex uena caua in distensione illa sanguis in sinistrum cordis sinum. in systole uerò, seu constrictione expurgantur fumi cordis: et spiritus uitalis in arterias dilatatas, & apertas exprimitur. inde insurgunt arteriæ: & fit diastole. s. extensio, seu dilatatio arteriarum. est igitur uis pulsifica, tanquam ministra uitalis, quæ à corde quidem proficiscitur, & arteriarum corpori confertur. quare efficiens causa pulsus est facultas ab ipso corde arterijs concessa per spiritus. instrumentalis causa, quæ ad efficientem pertinet, est ipsa arteria. finalis, ut conseruetur temperies caloris propter generationem spiritus animalis in cerebro, refrigeratione, & attractione noui aeris, quæ fit in diastole: & expreßione fumorum, quæ fit in systole. porrò motus distensionis, & contractionis proportio rythmus dicitur. sed de pulsibus uidendus est Galenus & legendus eruditißimus liber de arte sphygmica Iosephi Struthij: atque ea, quæ Montanus, & Clarißimus Fernelius de his docuerunt: quæ omnia uix tamen nos in aliquam de pulsibus certam cognitionem adducere possunt. cum autem per eũ motum, quo cor, & arteriæ mouentur, neque satis aeris, atque pabuli poßit attrahi, neque fumi omnes expelli, atque calor, & spiritus repurgari; acceßit ad motum istum cordis, & arteriarum respiratio, quæ licet regatur ab anima-

Systole. Pulsus causa. Rythmus.

li facultate, cum ad eam requirantur musculi; tamen quadam neceßitate ducitur, & perpetua inspiratio, et expiratio efficitur. ei inspirationi autem rectè comparatur diastole; quia nouus aer in pulmones fertur, atq; priusquam in cor transmittatur; præparatur. expirationi uerò systole; quia fumosa excrementa propelluntur: & pectoris calor repurgatur. hinc uidemus, cum non magna urget neceßitas; saltem motu diaphragmatis aerem attrahi in pulmones, & fumos excludi. cum uerò maior est neceßitas; thoracis quoque musculos attolli, atque dilatari oportet. cum maxima; etiam eos musculos, qui costis, atque uentri incumbunt, moueri necesse est. contrarius uerò motus est compreßionis in expiratione uehementi, quæ exufflatio dicitur. est autem respirationis tanta neceßitas, ut sine ea uita durare non poßit: hæc enim calorem cordis conseruat: spiritibus animalibus prodest: ad olfactum conducit: denique, ut Platoni placet, alimenti per corpus digestionem iuuat. causa eius efficiens appetitus cum uoluntate, qui bonum persequitur uidelicet contemperationem caloris. instrumentum musculus, quem septũ transuersum appellant. expiratio autem etsi fit à naturali pectoris motu ad suum locum redeunti; tamen, ut dixi, uehementior musculis utitur ita, ut quasi in corde duo motus esse uideantur.

DE RESPIRATIONE:

cu respiro sit uolantaria actio, musculo indiguit: is aut e Septu,

Quid de affectibus censes?

SVNT ij quidem à uitali facultate: uerùm, cum in illo-

in illorum effectione afficiatur cor; rectius paßiones de sententia præceptoris mei D. Montani excellentißimi Medici, & philosophi, quàm actiones uocantur. qui uerò, ac quales motus cordis, & spirituum fiant, dum affectus prodeunt: ac quo pacto in singulis affectibus, uidelicet lætitia, tristitia, ira, metu, amore, odio, furore, pudore, uerecundia cor afficiatur, petendum est ex ijs libris, quæ de his copiosam doctrinã continent. de motibus autem, qui appetitiones dicuntur, siue sint naturales, quas in hepate collocant: siue θυμοειδεῖς, quas in corde: siue rationi, & uoluntati obtemperantes; ut doctorum scripta legantur, & sententiæ diligenter conferantur, moneo. nam, etsi perturbationes sæpe morbos præcedant; tamen harum remotio nõ proprium est medici, quem nunc instituimus, officium. naturalium uerò appetitionum causas, & remedia facile est medico reperire: atque in his ægris moderationem quandam præscribere.

Affectus cordis:

De animalibus actionibus nunc dicendum est.

HORVM effectrix est facultas animalis, quæ suũ domicilium in cerebro habet: et spiritu animali, tanquã primo, & præcipuo instrumento utitur. sunt autem quædam actiones in ipso cerebro, uidelicet, sensus interiores, quos Galenus facultatis principis actiones uocat, uidelicet imaginatio, ratiocinatio, & memoria. quædam ab ipso. s. facultate iam operante, seq; nõ mo-

Elice quo ex uitali spu, fiat spus aialis

do intra cerebrum continente; sed extra quoque ferente; ut sunt sensuum actiones, & motus. somnus autem, & uigiliæ affectus cerebri propriè dicuntur.

Somnus, et uigiliæ sut cerebri affs:

Dic de sensibus exterioribus.

RECTE: nam à sensibus exterioribus ad interiores perferuntur imagines: &, cum hæ sensui, quem communem dixi, offeruntur, & imprimuntur; uera fit sensatio. est autem hoc sciendum sensum affici ab externis qualitatibus, & obiecta percipere, nec tamen inde mutari: non enim oculus percepto colore albo fit albus. sensuum causa efficiens est facultas instrumentalis: spiritus animalis, qui (ut dixi) ex uitali per arterias carotidas in contextum choroiden sublatus, atque in eo primum alteratus: deinde ui cerebri substantiæ insita elaboratus, & animalis factus. hic, inquam, spiritus ex cerebro in sensuum, & motus instrumenta fertur: & in oculis, ac neruo optico uisionis instrumentum: in auribus auditionis: in naribus, seu potius in propaginibus cerebri, forma nerui albicātibus odoratus: in lingua gustatus. in neruorum propaginibus tactus instrumentum est: alijsq; corporis instrumentis præsidet. porrò quædam organa spiritum familiarem, seu congenitum habent, ut de auditione dicemus.

Spus aialis

Estne actionum sensuum aliquod discrimen?

MAXIME; primò enim differunt instrumentis: nam & spiritus ipse in instrumentis diuersis diuerso mo

do se

do se habet: deinde ratione medij. quidam enim sensus percipiuntur contactu; ut tactus, & gustus: quidam ad distans medio corpore interiecto; uidelicet aere, aqua, uel fumoso quodam; ut uisio, auditio, olfactio. postremò etiam differentia constitui ab obiectis potest; alia enim obiecta alios sensus feriunt.

Quid est visio?

EST actio, qua color, ut obiectum proprium, illuminatus, per medium διαφανὲς, seu perspicuum, ut aerem, uel aquam, oculos ferit: nam lux, uel lumen quatenus uisibile, eatenus coloris rationem sortitur. porrò lumen etsi necessariò ad uisionem requiratur: tamen non est obiectum, sed quiddam illustrans colorem, qui, ut dixi, per medium illuminatum aerem, uel aquã usque ad oculum protensus rei uisæ imaginem præfert. oculus uerò, qui & ipse ex perspicuis, seu διαφάνοις δυνάμει constat; uidelicet cornea, humoribus, et præsertim lucido, ac concreto humore crystallino: cui imagines perceptæ imprimuntur, & officio uueæ tunicæ quæ opaca est, retinentur, donec per neruos opticos in cerebrum, & sensum communem deferantur, excipit. cum uerò dico imagines deferri per medium διάφανον; non hoc uolo aliquid ab ipsis rebus obiectis, seu à coloribus defluere ad oculum: nec foras ex alio erumpere: sed hoc significo spiritus, atque διάφανον oculum ab illuminato corpore forma pyramidali afficere. inde fit, ut propius uisa melius; longius uerò minus perfectè conspi

LVMEN

conſpiciantur. Διάφανον autem, ſeu perſpicuum, quod
non niſi per lumen actu φαίνεται, cōcipiendo lumini ido
neum eſt, & quaſi conuenientiam habet: atque eadem
conuenientia, & aptitudo oculis quoque noſtris inſita
Lumen qd
eſt, ut antea diximus. eſt uerò lumen ἐνδελέχεια cor-
poris lucidi: reuera enim ætherea corpora διαφανῆ
ſunt ἐνεργεία, atque eorum τελειότης, καὶ ἐντελέχεια
eſt lux. ideoq; cœlo nullus color eſt: ſed, cum ſit δια-
φανὲς; huic opponitur opacum, quod eſt luminis priua
tio. aer uerò, aqua, cornu, uitra ſunt δυνάμει luci-
da; quia lumen à cœleſtibus corporibus accipiunt, &
tranſparentia dicuntur. Ariſtoteles namq; uocat tran-
ſparens διαφανὲς ἀόριστον; quia nullum certū colorem
obtinet: ſed in ſe omnes potentia habet. corpus uerò,
quod in extremo certum colorem accepit, à miſtione
Colores:
ortum ὅριστον, atque terminatum eſt. fiunt autem co-
lores in ſuperficie corporis illuminati ex commiſtio-
ne perſpicui, cuius materia eſt pura: & obſcuri, cuius
impura. nec ſunt ipſa ἐπιφάνεια. ſ. ſuperficies, ut Py
thagorici exiſtimant: ſed terminus, ac extremitas cor-
poris lucidi, ſeu tranſparētis terminati motiui διαφανῆ.
cæterùm corpora naturalia ſecundum philoſophos ſunt
CORPORA NATVRALIA
quinque: cœlum, elementa, animalia, plantæ, & me-
talla. cœlum quidem eſt lucidum; ſicut omnes eius par
tes. color autem, qui in eo apparet, ratione opaci cō-
ſpicitur. elementa uerò, etſi alba ſunt præter terram;
tamē propter opacum aliter conſpiciuntur. in reliquis
autem tribus corporibus naturalibus uerè coloris ra-
tio ſpe

tio spectatur: in ipsorum superficie ortus, ex mistione lucidi, atque opaci, per aliquam alterationem elementarem: nam tria elementa dicimus esse alba, & perspicua, ut iam monui: terram autem tenebricosam; licet usta interdum alba conspiciatur. horum igitur diuersa commistio diuersos colores efficit. ex his manifestum, quamuis lumen, atque superficies necessariò requirantur, ut appareat color: tamen nihil cum eo commune habere. hinc etiam cognoscimus cur splendida, & congenitum lumen habentia; ut flammæ, uel oculi catorum, in opaco conspiciantur. sed de his plura in præsentia disputare: item quo pacto colores fiant, & quæ earum differentiæ, non est nostri instituti.

oia elementa alba sunt, excepta terra:

Quomodo fit auditio?

INSTRVMENTVM auditionis est auris, seu membrana, quæ intus inclusum aerem obtinet. hunc exterior aer, in quo facta est collisio, & sonitus editus per auris tortuosos anfractus citra ullam offensionem ferit, & membrana blandè concutitur, ut personet. tum exterior aer, interior, & spiritus audiendi conueniunt, & soni, ut ita dicam, species percipitur, ac ad sensum communem defertur. medium itaque est aer, qui ab ea parte, à qua primò uerberatur, impellitur eousque, donec ad aurem perueniat. ideò & ictus, seu collisiones corporum in longinquo factas non statim auribus percipimus. potest & aqua esse medium auditionis. ideoq; Græci διηχῆ media auditionis uocant. & Aristoteles

Auditionis instrum:

διήχιν

διέσιν primum motum uocis, qui percipitur, appellat. de sonis autem disputare hic nõ est nostri instituti.

Quæ est odorandi ratio?

De instrumento odoratus uarié disputãt medici: nam recentiores paruas duas carunculas spongiosas similes mammillarum pabulis proximé supra nares in medio oculorum positas, quos & mammillares processus uocant, instrumentum odoratus statuunt: sed reuera non sunt. legitimum autem odoratus instrumentum dicimus duos processus cerebri figuram nerui habẽtes, & albicantes, ex terminis anteriorum cerebri uentriculorum ortis, & ad narium meatus, seu os ἠθμοειδὲς pertingentes: quo odores respiratione attractos percipimus. porrò, cum odor nihil aliud sit, quàm exhalatio quædam fumosa, aerea, siccitatis, & caliditatis participans; ideò igneam naturam obtinet. habebit igitur & instrumentum odoratus igneam uim; siquidem in ipsa perceptione odorum necesse est, ut fiat συμπάθεια. sicut Galenus inquit. 1. de causis symptomatum, odorifera odoratus cognata. ideoq; haud probanda illorum sententia, qui instrumentum odoratus humidum esse cẽsent; ut discerni possit fumorum differentia. sed hæc disputatio etiam per antipathian defendi potest. mediũ uerò, quo percipitur odor, Græcis diosma dicitur. sequuntur autem odores mistionem ex qualitatibus: nec certa nomina habent. sed ad beneolentiam, seu εὐωδίαν, & grauiolentiam δυσωδίαν, ut Gal. 4. de simpli

cium

Odoratus legitimũ instrumentum

ODOR

cium medicamentorum monet, omnes odorum species reducuntur.

Quomodo fit gustatus?

NERVOS per mollem carnem linguæ, & palatum sparsos percipere sapores dicimus. est autem SAPOR qualitas quædam in succo, seu humore prouenìens à uaria mistione humidi, & sicci per diuersam actionem calidi, & frigidi: quæ gustu percipitur. statuunt uerò septem saporum differentias: unum uidelicet saporem dulcem temperatum, atque medium: tres per excessum frigiditatis; uidelicet, acerbum, austerum, & acidum: & totidem per redundantiā caloris; uidelicet salsum, amarum, & acrem. de quibus plura uideantur in libellis Montani de medicamentorum qualitatibus, & compositione scriptis: nam ἄποιος, seu insipidus non propriè sapor dicitur; pinguis autem, & uinosus ad dulcem referuntur.

Sapor:

Septe saporum dria:

Quomodo fit tactio?

INSTRVMENTVM tactus dicimus esse neruos per corporis extremitates sparsos. arbitrantur autem quidam in ijs tantùm fieri tactionem: & Galeni utuntur suffragio, nec tangendi uim è cerebro defluere. uerùm, cum & Hippocrates dicat graues dolores obscurare leuiores: cumq; uideamus obstructiones sæpe fieri, quæ intercipiunt tangendi uim; dicimus uim sentiendi à cerebro: neruos autem instrumentum esse.

Sensus tactus à cerebro puenit:

de medio

de medio tactus, atque guſtus non neceſſe eſt diſputare. obiecta uerò dicuntur qualitates primæ: & quæ tangibiles uocantur, & nihil aliud ſunt, quàm habitus conſequentes materiam. de quibus uideatur Montani Metaphraſis in quartam Fen primi Canonis Auicennæ. ſunt & quædam communia obiecta; ut magnitudo, numerus, figura, motus, & quies: uerùm de his plura monere non neceſſe eſt. hoc poſtremò ſciendum ſenſus omnes à moderatis obiectis recta affici: ab immoderatis lædi. ſic ſplendor nimius obcœcat: ſonus nimius ſurditatem affert: fœtida lædunt; cum ſuaues odores plurimum cerebrum recreent, & ſpiritus promptè reficiant. ſic & de dolore ſentiendum; obiecta enim uehementia tactus, uel guſtatus grauiter ſenſus afficiunt: moderatè autem oblata obiecta neceſſe eſt aliquantulũ in ſenſu conſiſtere: deinde per neruos uehente ſpiritu in cerebrum ad ſenſum communem commeare. ſed nunc de ſenſibus interioribus, quos Galenus principes uocat, agamus.

obiecta tactus:

obiecta coia

Quomodo fiunt ſenſus interiores?

OSTENDIMVS tres eſſe facultates: tot igitur erunt actiones; uidelicet imaginatio, ratiocinatio, & memoria. imaginatio complectitur, ut dixi, ſenſum communem: cui exteriores ſenſus offerunt, & annunciant obiecta exteriora. fingit igitur imaginatio, ſeu φαντασία ex his ſimulachra: aliàs quidem talia, quales ſunt res: aliàs confuſa, ex quibus uoluptatem, uel triſtitiam

ſtitiam percipit. has imagines habent etiam animalia irrationalia; ut canes, qui agnoſcunt dominum & cæte. ratiocinatio perceptas imagines cognoſcit: de ijs cogitat: indiuidua ab indiuiduis diſcernit: eaq; dijudicat: ſed cauſarum, item ueri, & falſi intelligentiam non habet; nam hæc mentis eſt opus. hac etiam gallinæ animaduertunt ſibi deeſſe pullos: ouis lupum inimicum cognoſcit non iudicio; ſed ſecretione quadam. memoria eſt imaginum elaboratarum imaginatione, & ratiocinatione: conſeruatio, quæ fit crebra, meditatione.

Mens distat à Rocinatione

Memoria:

Quid de ſomno, & inſomnijs tenendum eſt?

ILLVD, quod monui: nempe affectus cerebri proprios eſſe, atque ſomnum quidem ſenſuum quietem, in qua fit reſtauratio ſpirituum, & caloris refocillatio: quæ duo per uigilias præcipuè exhauriuntur. cæterùm, cum ſpiritus in uigilijs diſsipentur, & agitatione ꝑpetua languidiores fiant; quietem poſtulant: ſunt enim uigiliæ ſenſuum agitatio per multum ſpiritum: qui, cum diſsipantur; quietem optant. porrò, cũ relinquantur; quædam imagines in ſenſibus, offerunt ſe per ſomnum ſenſui communi, & fiunt inſomnia, quæ nihil aliud ſunt, quàm agitationes. ideoq; cum inſomnia grauia ſunt; quietem quoque iſtam turbant, quam ſpiritus requirunt. fit autem ſomnus tum præcipuè, cũ iam à luce diurna ſpiritus non euocantur, & obnubilantur quaſi uaporibus aſcendentibus ab alimentis, ſeu potius

SOMNVS EST Sensuũ quies:

VIGILIAE:

INSOMNIA

SOMNVS qn fiat:

potius eorum coctione, atque nocturno frigore, uel saltem cerebri densantur. cum spiritus sunt pauci, & uapores multi; fit profundior, & uel propter exhalationis copiam, uel refrigerationem sensibus interioribus nullæ offeruntur imagines. ideò nec à cibo statim insomnia fiunt; sed, cum moderatus somnus est; offeruntur imagines sensibus interioribus miræ, quarum uarietates ex humorũ cõstitutione corporum, eorumq; uaria affectione quidam etiam cœlestes causas addunt, æstimantur. turbatis uerò nimium spiritibus offerũtur spectra, atque alia horrenda. sed de his aliàs.

Somnus qn profundior

Spectra:

Dic de potentiæ motiuæ actione.

OBSERVANDVM est hoc tyronibus per carotides arterias, quæ ab aorta. s. arteria magna rursum ad iugulum ex utraque parte tendunt, ac carotides. s. soporariæ: à practicis apoplecticæ, & subeticæ dicuntur, aßiduè è corde ferri in cerebrum spiritus: atq; prius in plexu choroidi, qui fortasse δικτυοειδὲς. s. retiformis à quibusdam appellatur (Nullus enim, ut Vesalius probat, sub cerebro, ut Galenus illum describit, in homine plexus reticularis est) elaborari, donec in spiritus animales à cerebro, eiusq; meningibus conuertantur: nouasq; uires adsciscant, quas in neruos sentientes, tangentes, & mouentes diffundunt. diffusio autem illa fit motu cerebri, qui in eo aßiduus est tanquam in corde: cum enim contrahitur cerebrum, & interiores sinus coarctat; spiritus è prioribus uentriculis

Spus uitalis quos motus in cerebru feratur et quo aiales fiunt:

DE CEREBRI MOTV:

Diffunditur Spus aiales in neruos sentientes, tangetes, et mouetes, motu ipso cerebri, q in eo, ut in corde sp adest:

culis in posteriores, & in neruos exprimit. dum autẽ attollitur motu; spiritum uitalem, atque per nares aerem trahit. hæc uero dum fiunt in postremo cerebri uẽtriculo cerebello dicto, duo tubercula glutia appellata huic adiacentia diducuntur, cum cerebrum attollitur. contrahuntur uerò, cum cerebrum contrahitur: inque medio horum epiphysis, cui à uerme nomen est, his insidet; ne spiritus relabi poßit, uerùm deprimatur: tum in eam cerebri capacitatem influat, & in spinæ dorso, quæ per longitudinem porrigitur (siquidem & ipsa medulla spinæ à postrema parte cerebri propagatur) illabantur. hinc igitur nerui ab hac medulla orti spiritum hunc accipiunt, eoq; roborantur, atque cum hoc, scilicet, spiritu animali facultatem, seu potentiam mouendi, quæ prima, & principalis motus causa est, in uniuersum corpus transmittunt. hæc autem facultas, seu potentia, quæ rectore spiritu utitur, edit actionem, quam πρακτικὴν. s. actuosam Galenus. 3. de causis sympt. & 6. methodi uocat.

GLVTIA:

Epiphysis.

De neruis à spinali medulla exortis.

Qua ratione fit practica actio?

PROPRIE practica dicta habent causam impulsiuam, appetentiam, quæ commota à phantasia percipiente obiecta, tanquam bona, uel mala νοῦν πρακτικὸν. s. uoluntatem incitat. hæc [uoluntas] uero rursus facultatem, quæ præcipuè effectrix est motus: illa [facultas] spiritus: hi [spiritus] instrumẽta, uidelicet musculos impellunt. porrò musculus, qui Græcis μῦς appellatur, constat primò ex ligamento,

Musculi compositio:

quod ab oſſe, uel cartilagine ortum habet in plures fibras diuiſo. deinde carne has continente, cui uenæ, & arteriæ ad nutriendum eum, & calore uitali totum muſculum fouendum inſeruntur. tertiò neruo, qui eius principio inſertus eſt. hoc uerò principium muſculi caput dicitur: medium, ubi in carne nerui, uenæ, atque arteriæ coeunt uenter. quæ autem parte neruorũ, atq; ligamentorum fibræ in unum conueniunt, & ἀπονεύρωσιν. ſ. eneruationem faciunt, tendinemq́; muſculi conſtituunt, cauda appellatur. non autem omnes muſculi in tendines finiuntur: nam breuiores, quales ſunt in larynge, qui in membranas deſinunt, hoc carent. tendo uerò à natura ligamenti parùm differt: atque eius interuentu oſſi, ut dixi, alligantur muſculi, idq́; mouent. cæterum, etſi ſinguli muſculi tenui membrana circundati, & ueſtiti ſunt, quæ eos inuicem diſtinguit: tamen numerus incertus eſt, nec promptè definiri poteſt. differentia uerò eorum licet multiplex ſit; ſumitur enim à ſubſtantia, ortu, inſertione, à parte quam mouet: à forma, magnitudine, ſitu, colore fibrarum, genere, atque compactione, uentribus, tendinibus, atque munere, licet muſculi proprium munus eſt, ut ſit uoluntarij motus. inſtrumentum, ſicut oculus, uiſus. fit autem ſic motus. neruus, ut dixi, adfert animalem ſpiritum, qui nunquam muſculum deſtituit. hic facultatem aduehit, quo muſculus extenditur, atque contrahitur, ſimul os uel membranam, cui inſeritur, mouet, cum uerò ſinguli muſculi præter paucos unum ge-

nus

nus fibrarum habeant; quidam extensioni membri, quidam contractioni seruiunt. laborat autem musculus, siue extendatur, siue contrahatur nimium: ut, cum brachium tenetur immobile, quem motum tonicum uocant: qui ei similis est, quem in alis auium cum uno conatu, sine motu in aere uehuntur, esse uidemus. sed, cum mediam constitutionem obtinent; quiescunt musculi. hæc de motu locali. Motus Tonicus:

De intellectus, seu mentis actionibus.

OSTENDI *paucis uerbis cuius uim realem atque actus mentem seu* ~~*ad collectum*~~ intellectum *uocamus, substantiam diuinam esse separabilem à corpore atque immortalem actũ eius simplicem atq; reflexum esse ponunt philosophi. nullius autem ingenij uis tanta est: neque ullius eloquentiæ tantum flumen, ut uel cogitando capere, uel oratione explicare omnes actiones diuinas mentis poßit. superant hæc & Aristotelis summam ingenij perspicuitatem, & Demosthenis admirandam eloquentiam. cæterùm hi, qui ad Aristotelicam doctrinam salutare iudicium adhibent, & quæ religioni aduersantur, repudiant: ac cum philosophiæ studio literas sanctas coniungunt, possunt quædam dextrè explicare. in quo numero sunt apud Græcos præcipui Basilius magnus, & duo Gregorij Nysenus, & alter Nazzanzenus. apud Latinos multi quidem nomen aliquod studuerunt scriptis quærere: de quibus non libet censoriam* Intellectus. Philosophi Christiani:

Actiones integræ, integras facultates osten
dunt:

proferre ſentẽtiam, nec omnium trium quibus mirificẽ impediuntur, atque excruciantur quorundam liberalia ingenia, hoc in loco explicuit. illud moneamus iuniores non ſolum eos, qui uniuerſam philoſophiam tanquam animorum peſtem ex hominum ſocietate exterminandam putant: quos rectè Nazzanzenus σκαιούς, καὶ ἀπαιδεύτους non audiendos: uerùm nec iſtos ſequẽdos, qui ueterum ingenia eo uſque admirantur, & amplexantur, ut nihil neque uerum, neque probabile exiſtiment, quod ab eorum inſtitutione, ac diſciplina diſcrepat, eſſe iudicamus. fugiendi autem ſunt planè hi tanquam peſtes, qui adeò ſtulti, & arrogantes ſunt, ut in philoſophiæ oſtentatione ſe religionis hoſtes profiteantur: quo ueri ſapientes ſuo gregi, et peripatetici uiri uideantur. nobis uerò, cum propoſitum ſit iſagogen Medicã docere; de actionibus, quæ facultatem ſequuntur, monuiſſe ſat eſt; ſiquidem actiones integræ facultates integras eſſe monſtrant. horum uerò integritas temperamenti, ac primorum elementorum harmoniam, atque conſenſum indicat. hanc ſanitatem dicimus, quæ nihil aliud eſt, quàm ſymmetria, à qua procedunt omnes actiones ſecundum naturam. habet uerò hæc ſymmetria in corporibus gradus: nam aliàs purior eſt, aliàs impurior. ſed, cum non læduntur actiones; corpus ſalubre dicitur. ſ. retinet diſpoſitionem naturalem, eſtq; actu ſanum. ſ. integras actiones habet. ſanitas autem ſymmetria triplici modo eſt in corpore: uel in temperatura totius, atque partium: uel in compoſitione, uel

SANITAS

Sanitas gradus, et latitudinem habet:

in partium unitate, ut in nostra methodo diximus. atq; cum adest; constituit unam partem medicinæ, quæ est de tuenda sanitate. cum abest; alteram, quæ est in curanda, atque recuperanda. hinc definitio uetus medicinæ in libello Hipp. de flatibus inscripto illa est. Medicina est adiectio, uel detractio. adiectio quidem deficientium: subtractio eorum, quæ redundant. Galenus uerò in arte medica parua Hierophili definitionem ponit in hunc modum. Medicina est scientia salubrium, insalubrium, & neutrorum. consideranda autem sunt corpora, causæ, & signa salubria, insalubria, & neutra; ut Montanus in suis tabulis in Galeni artem perspicuè ostendit. sed nos sciamus medicinam esse artem ratione certa, atque usu constitutam: qua corporis humani sanitatem tuemur, & morborum depulsionem adiuuamus. ad tuendam sanitatem primùm requiritur, ut corporis nostri temperaturam non solum primam; sed cuilibet ætati, & statui conuenientem cognoscamus. hac cognita, causæ, quas Galenus. 85. in arte Medica cap. conseruatrices uocat, nostri temporis medici res non naturales, rectè adhibendæ sunt. dicuntur autem non naturales; quia & secundum naturam, & præter naturam afficere corpora possunt: & sex numerantur; uidelicet. 1. aer. 2. cibus, & potus. 3. motus, et quies. 4. somnus, & uigiliæ. 5. excretio, & retentio. 6. animi perturbationes. horum natura medico discenda, & cognoscenda est, & corpori temperato symmetro, ac sano, ut similia adhibenda. est enim hoc ὑγιεινῦς κεφάλαιον

MEDICINA QVID:

Sanitate cōseruanti qd sit opus:

Res, nō naturales cur dicatur:

De sex rebus nō n̄alibus uocatis —

Conseruatio: λαιον: similia similibus conseruari. cum autem istæ causæ aliquo modo corpus alterant, non amplius sunt similes. ideò in ea parte ὑγιεινῆς, quam προφυλακτικὴν uocāt Præseruatio .s. præseruatricem, in qua alteramus, utimur contrarijs κατὰ μικρά. porrò præseruatio debetur corpori neutro, quemadmodum θεραπευτικὴ: in qua contraria Curatio: κατὰ μεγάλα adhibemus, corpori ægro. in ijs uerò corporibus, quæ à primo ortu neutra sunt, siue δυνάμει νοσερὰ, ἐπανόρθωσις perpetuo requiritur. quemadmo Refectio: dum ἀνάληψις in ijs, quæ ex morbo iam conualescunt, ac quibus afflictas uires restituimus. hic & causæ tres



congenitæ, seu necessariò corpus nostrum afficientes considerentur, uidelicet. 1. siccitas, quæ ætatis cursu ad interitum nos uocat. 2. aßiduus, atque continuus substantiæ defluxus. 3. & excrementorum calido aucto, uel diminuto prouentus. his tribus, etsi medicus planè mederi non poßit; tamen aliquid adiumenti afferre potest. cum uerò iam corpus morbo afficitur: estq; non tantùm leue πάθημα præter naturam: sed διάθεσις contra naturam in corpore, uim ei inferens, et actio MORBVS: nes lædens, hoc morbum dicimus: is est in corporis sub in corporis substantia: stantia, parteq; similari, uel instrumentali. eius autē causa exterior à rebus præter naturam immodicæ alte= rantibus, uel à percußione plagæ &c. proueniens, & CAVSAE: causa προκαταρκτικὴ dicitur: uel uitium in contentis corporis, & hæc causa interna, seu προηγούμενη uocatur, quæ cum ita connectitur morbo, ut ea remota, sequatur sanitas; coniuncta dicitur. morbum tanquam

causam



CAVSÆ TRES CONGENITÆ: SEMPER NOS NECESSARIO ALTERANTES: quibus si nō mederi saltem aliqd opis afferre possumus.

causam effectus sequuntur symptomata, eaq; sunt. 1. functiones ipsæ, seu actiones læsæ. 2. corporis affectus 3. excretiones, uel suppreßiones. signa autem nos in causarum, & morborum cognitionem ducunt: quorũ fontes in idea Hipp. & multis in locis à Montano monstrantur. hæc dextrè, ac diligenter medico consideranda sunt, ut nobis causam morbi, locum affectum, & facultatis mensuram monstrent. hic non tantùm præceptio uim aliqua cognitio; sed usus quoque requiritur atque artificiosa coniectura opus est. primò igitur sic locus affectus cognoscitur; cum considerata actione læsa eius instrumentum affectum uidemus. deinde per ea, quæ excernuntur, ut in urinis carunculæ, renes læsos indicant, laminæ uesicam &c. tertiò ad cognitionem loci affecti ducit nos dolor. 4. symptomata propria, ut rubor maxillæ in peripneumonia. causæ uerò considerandæ sunt primùm quidem principales, siue sint procatarcticæ, siue προηγούμεναι, siue coniunctæ. deinde uidenda συναίτια, seu causæ adiuuantes. tertiò, si qua fortè causa habet λόγον, οὐκ ἄνευ. s. sine qua non potest fieri curatio. ac primùm consideranda res scilicet non naturales, uidelicet, aer, cibus, potus &c. deinde internæ; uidelicet spiritus, & humores, & quicquid contentorum nomine complectimur. postremò ipsarum causarum connexio; ut in omni fluxione quatuor causarum connexio est, una in materia; altera in membro mandante, ut uocant, tertia in recipiente, & quarta in uijs.

DE INDICATIONIBVS HÆC LEGE.

Consideratis causis, cum facultatis læsio uidetur, morbi magnitudo; apparet, quam monstrant symptomata uehementia, & dignitas partis affectæ. hic uidendum, an plures morbi sint complicati, an uerò unus: et utrū is per consensum, seu συμπάθειαν insit: an uerò per ἰδιοπάθειαν: obseruandumq; an morbus fit in temperatura, uel in compositione, uel in continui dissolutione, & quo pacto primo & per se, quod morbi proprium est, actionem lædat. hoc cognito morbus quidem sui ablationem indicat. quid uerò agendum sit, terminus morbi, qui uel factus est, uel fit, monet. secundò quantum sit agendum in mole, indicant corporis uires, quantum in gradu, ex consideratione morbi & temperamenti totius hominis, uel partis, petitur. tertiò quomodo sit agendum primò indicant ægri mores, seu natura insiti, seu consuetudine accersiti. huc autem tanquam coindicantia referuntur ætas, sexus, uitæ genus, regio anni, tempus, constitutiones cœli, & τὸ περιέχοντος. deinde quomodo sit agendum, præcipuè motus, & quies materiæ indicant, quæ aut fluit, aut fluxa, est, aut partim fluxit, partim est fluxura. postremò natura loci affecti: in qua consideranda primùm, substantia partis sitne carnea, uenosa, ossea &c. deinde modus substantiæ, utrum dura, mollis, rara, densa. item temperamentum, compositio, & conformatio membri, situs, & forma, colligantia, seu cum alijs communitas, sensus præstantia, nobilitas, & necessitas actionis. quartò, quando sit agendum; motus, & tempus morbi indicat.

Quid agendum quid indicet: et

Consideranda in parte affecta:

indicationes, sunt certæ animi cōprehensiones, ex collatione morbi, et conferentis auxilij considerone collectæ:

dicat. motus uel est uelocissimus, uel uelox, uel tardus. tempora morborum tàm uniuersalia, quàm particularia quatuor sunt: principium, incrementum, uigor, seu status, & declinatio. quintò, ubi sit agendum, indicant situs loci affecti. ex his fontibus oriuntur ἐνδείξεις, seu indicationes. s. certæ animi compræhensiones, ex collatione morbi, seu nocentis, & conferentis, s. auxilij rerum consideratione collectæ, quæ medicum in recto proposito agendi confirmant. id uerò fit, cum utriusque naturam, uidelicet morbi, atque remedij causas cognoscimus. & contraria contrarijs rectè opponimus: ac quid primò, quid secundò sit faciendum, statuimus. hæc mentis compræhensio, quam medici indicationem, ut dixi, uocant, semper nobis in actione medica prælucere debet: eaq; medicos artifices ab alijs imperitis, & audaculis practicis discernit. ac animaduertendum diligenter in actione medica est ad id, quod indicat (quod in morbis est præter naturã) & id quod indicatur. s. ad auxilium, seu remedium corpori offerendum. hinc illud uulgare dictum semper uidendum, quid natum agere, quid natum pati. ubi uerò plures sunt indicationes. s. agẽdi rationes; plura erunt etiam & diuersa indicantia. hic quæ sint potiora, et digniora, æstimandum medico; ut ordine poßit medicationẽ instituere, & necessaria primùm facere. sed de his aliquid diximus in nostra Therapeutica methodo: et hæc commonemus, ut uideant tyrones, quid in tota Isagoge medica, quam instituimus, sit reliquum. nec existiment

Morbi, et remediorũ cognoscat' vis, et causa:

morbus indicat. Remedia indicatur.

ſtiment ſe uno momento, aut exiguo temporis ſpa-tio medicos fieri poſſe. porrò, cum meditatio, quæ eſt recta remediorum, cauſis ſymptomatum aduerſan-tium applicatio, in tribus conſiſtat, in diæta, & re-cta uictus ratione, pharmaceutica, & chirurgia; me-dicus conſiderata temperatura ægri, natura morbi, & præſertim uirium diligenti ratione habita debet ui-ctus rationem principiò ægro præſcribere. deinde, ſi morbus à plenitudine, in quo miſsio ſanguinis requiri-tur; primùm chirurgiam aduocare, atque ſanguinem extrahere oportet. ſi uerò cacochymia adeſt; princi-piò per ſyrupos, qui Actuario, Serapia, & Nicolao Myrepſo δρόσατα dicuntur præparato humore corpus eſt conuenienti medicamēto purgandum. hic uerò me-dicamentum. ſ. quod tuto humorem ſuperfluum educat, adhibendum eſt: atque illud Meſuæ tenēdum iſtum eſſe gradum ſapientiæ, ut ad medicinas fortes non deuenia-mus, niſi ubi debiles non contulerint. ſunt autem tres purgantiū medicamentorū, quæ ſubſtātiæ ſimilitudine, ſeu forma propria humores, tanquàm magnes ferrum, quemadmodum Galenus ait, eliciunt, claſſes; quædam enim prorſus maligna ſunt; quia uenenata qualitate purgant; ut eſula, turbith, ſcammonium, præſertim noſtrum colocynthis. hæc rarò ſine periculo exhiben-tur, niſi ab exercitato medico: & ubi mediocria non adiuuant, adhibenda ſunt. alia ſunt medicamenta pror-ſus innocua, & benigna, ac lenientia potius, quàm ca-thartica uocanda, quæ à fortiori calore ſtatim in ali-

Medicamēta Potentia.

Medta Lenia

menti


menti naturam transeunt; ut manna, medulla caßiæ, quam florem uocant, pruna &c. hæc ante cibum sumpta aluum emolliunt; alia sunt mediocria; ut aloe, rheubarbarum, agaricus, sena, quæ si rectè, ac tempestiuè adhibeantur; nullam prorsus noxam inferunt. si secus; uel cum difficultate purgant, uel in humorem, quem educere debebant, transeunt. ut autem tutò, & facilè purgent; primùm forma, & quantitas conueniens eligenda est: secundò humores præparãdi: tertiò, ut uiæ liberæ sint, uidendum. quartò, ut cum naturæ uires integræ sunt, exhibeantur. nam uiribus collapsis, & morbo superante naturam nulla medicatio recta est. sed de euacuatione, ac uarijs formis medicamentorum purgantium, deq; reliquis ad artem medicam pertinentibus aliàs agemus plura. hæc autem ideò, ut suprà dixi, monui, ne tyrones existiment se subitò ex inspectione compendiorum artifices fieri posse: & hanc diuinam artem ordine ex Hippocrate, & Galeno, atq; authoribus probatis discant. in toto autem studiorum cursu insistant methodo, & integrum doctrinæ corpus constituere studeant. atque dum huic rei legentes scripta integra ueterum operam dant; multas perspicuas, & communes sententias, quæ ἀξιώματα uocamus, adnotent, & Aphoristicam doctrinam augeant: familiares sibi, non solum lectione; sed inspectione diligenti, partium totius corporis humani appellationes reddãt: horum substantiam, figuram, situm, consensum, compositionem, usum, & morbos teneant: morborum cau

sas stu

ſas ſtudioſe inueſtigent, & exempla curationum ſtudioſè obſeruent: remedia diſcant: multa ſimplicia, & artificioſas compoſitiones ament. non mirentur coaceruationes, & confuſiones medicamentorum: nullum remedij genus, niſi certa indicatione habita adhibeant. denique uictus rationem, quæ in hac hominum, atque morum peruerſitate negligitur, ſtudioſè diſcant, & tueantur. de his uerò plura monebo in noſtra methodo Therapeutica: eam rudiorem, & tenuiorem eſſe, quàm, ut in nomine Montani apparere debeat, hoc quoque loco fateor. &, ut hic labor Tyronum medicinæ cauſa ſuſceptus à Deo Opt. Max. & benigniſsimo fortunetur; precor.

IOANNIS BAPTISTAE MONTANI VERONENSIS
PERIOCHA METHODICA IN GALENI LIBROS

De elementis,
De Natura humana,
De Atra bile,
Et de temperamentis, & facultatibus naturalibus edita opera, & studio IOANNIS CRATONIS *Vratislauiensis Medici Cæsarei.*



Cum priuilegio S. Cæsareæ Maiestatis ad annos sex.

VENETIIS,
Ex Officina Valgrisiana. M D LX.

PRAESTANTISSIMO VIRO NICOLAO REDINGERO SENATORI VRATISLAVIENSI.

IOANNES CRATO. D. S.



VPERIORIBVS *ſcriptis teſtatus ſum hoc mihi eſſe propoſitũ, vt commonſtrata via, ac oſtenſis metis, & circunſcriptis, cancellis artis Medicæ ſtudioſos ad lectionem veterum deducam, & aditum pateſaciam atque muniam. cum autem Montanica iſta ad ſimilitudinem exercitationum noſtrarum propè accederent, & viam quandam certam omiſsis ambagibus perueniẽdi ad doctrinam Hippocratis & Galeni oſtẽderent; uolui ea ſtudioſorum cauſa noſtris pagellis adiungere atque hoc in loco de modo, atque ratione, qua mihi ad legendum, & cognoſcendum Galenum videatur accommodatiſsima, pauca monere. non dubium autem eſt, quin*

idem

Doctoris propositu tene:

idem in Galenicis scriptis cognoscendis sit spectandum, quod in cæteris doctrinis si quis rectè uelit in ijs uersari, atque eas percipere; fieri solet, uidelicet, ut doctoris propositum teneamus. idque perpetuo in discendo animo intueamur et omnia, quæ ad id facere uideantur diligenter, atque certo ordine obseruemus. Galenum uerò artem medicam uoluisse methodo rationali tradere, & doctrinam Hippocratis illustrare atque augere, manifestius est, quàm vt probabiliter hoc longius exponendum esse videatur. itaque eius doctrinæ studiosum duo potißimum spectare in lectione oportet: primum vt methodo, ac certa via, & modo, corpus doctrinæ integrum partium singularum explicationes sibi cōstituat atque animo teneat. deinde operam vt det, quo Hippocratis doctrinam non modò perspicuam & planam sibi reddat; verùm quo pacto augeri & confirmari poßit, etiam atque etiam videat. quod ad primum attinet, rectißimè id consequetur; si inter legendum in hæc Montani exempla intuebitur: & in singulos Galeni libros, præsertim in quibus artem, vel eius partes explicat. similem σωματοποίησιν sibi facere studebit, & diligenter obseruabit, vbi eadem plenius explanatius, & liquidius sint tradita: hac enim obseruatione ad constitutionem, absolutionemque corporis

in legendo Galeno qd agendu,

doctri-

doctrinæ, & rerum explicationem nihil melius, aut præstabilius: ac eiusmodi Lectio certissimus & verissimus est Interpres. alterum verò vt in Galeno consequamur, attentio, & scriptio requiritur: estque hic stylus optimus discendi magister. animaduertet igitur primùm diligens lector, sibique annotabit quo pacto non tantùm singulas sententias; uerùm verba interdum Hippocratis ponderet, atque explicet: ac in Galeni sensu mentem suam figere, atque locare conetur. hic verò, cum in varias pugnas, quæ ei cum sectarum authoribus sunt, incidet; non has ociosas λογομαχίας esse putet, verùm ad cõfirmandas, atque augendas Hippocraticas copias facere eas existimet. est enim non minus necessarium reuocare animos ab errore, & præmunire ostensione falsitatis, quàm recta docere: siquidem fecundus est error: et quælibet ætas de veteribus quasi nouos gignit atque producit. errores igitur singularum sectarum, earumq; refutationes firmas, ac perspicuas annotabit & ne quo ipse capiatur, cauebit. occurrent quoque in lectione Galeni multæ historiæ, & curationum recitationes, quas, si quis vt exempla rationalis methodi obseruabit, & præcepta artis cum ijs conferet, ac in certum ordinem rediget; non solum doctrinæ Hippocraticæ multum lucis, & firmitatis; ve-

Gal^s longus est dum cu antiqs pugnat, ut Hippocratis doctrinā corroboret: —

Error quilibet cauendus est

rùm singulare præsidium, & adiumentum suis medicationibus afferet: nulla enim re magis, quàm exemplo docemur, atque confirmamur præsertim, cum rationibus instructi actionum causas intelligimus, & aliorum factis nobis, quod ex vsu sit, admonemur. non facilè, si fortè alicui (exempli causa hoc ponamus) os femoris exciderit; is reducere hoc in adultis tentabit, qui Hipp. frustra in eo periculum fecisse cognouerit. proinde hac collectione exemplorum nihil ad rectum vsum artis vtilius, vel conducibilius sibi futurum studiosi putent: nec se malè collocasse tempus putabunt, quod obseruationi, & annotationi curationū tribuent: exercitatione enim atque obseruatione firmari artem tradit Galenus: neque sine hac methodum vniuersalem bonum artificem efficere posse affirmat: siquidem non satis est, vt Hippocrates monet, ratione artem medicam cognitam habere; verùm ὁμιλίη ὁμιλέειν oportet: & ut quàmminimè erremus; rectè experiundo, atque de exemplis, quid nobis sequendum sit, discere. Cum autem in vsu artis, & toto studiorum itinere oracula Hippocratis, quæ Aphorismos seu separatas sententias appellamus nobis prælucere debeant; non solum eorum interpretationi diligenter studere, atque ipsas sententias siue in eo libello, qui titulo

Ex.^m d. ossis femoris luxato

Apho-

Aphorismorum extat, siue in alijs Hippocratis reperiantur memoriæ mandare; verùmetiam de doctrina Galeni augere eas, atq; amplificare debemus. neque enim Hippocrates aphoristicam doctrinam ita perfecit, atque absoluit, vt nulla ad eam accessio fieri posse videatur: sed omnis non solum Galeni; verùmetiam aliorum Græcorum, & Latinorum lectio, modò obseruationis cura animus legentis nō vacet; eam multiplicare, atque exornare potest. studiose verò in primis istas sententias, quæ signorum rationem, & prædictionum modum ostendunt, nobis notas, atque perspectas esse oportet: &, cur sint traditæ; causas intelligere: ne temeraria prædictione, ac falsa artis fiducia ægros conturbemus, & bonam de nobis existimationem amittamus, vel desperatis manum admoueamus. porrò, vt hoc quàm rectissimè fiat, nostraq; cognitio vere saluti hominum inseruire queat; corporum humanorum exacta notitia nobis habenda est: suntq; non tantùm è libris singularum partium substantia, compositio, temperatura, situs, consensus, & colligantia (vt vocant) cum alijs, actiones, morbiq; discendi: verùmetiam oculis illa contemplanda, & sæpe intuenda. hic verò cum de musculis, & partibus quibusdam exilibus mirificæ sint tâm veterum, quàm recentiorum

Humani corporis exacta notitia habeatur.

 rixæ,

rixæ, acquieſcendum eſt in ea ſententia, quam vel αὐτοψία, vel vſus, & medicationes, atque conſenſus præſtātiorum artificum veriorem eſſe monſtrāt: nec vnquam finis contentionum inter Anatomicos, & Herbarios ſtudioſis ſperandus, præſertim cum, vt in ſingulis terris; ſic etiam in corporibus ſemper aliquid peculiare conſpiciatur. etſi autem negare non poſſumus, niſi hoc ingratè facere velimus, recentiorum opera, atque diligentia multùm anatomica, ſeu doctrinam de cognitione corporis humani, et medicamentorum tàm ſimplicium dijudicatione, quàm compoſitorum ratione auctam; tamen non propterea, quæ de his Galenus ſcripſit, negligenda ſunt. ſed quæ in illis rectè dicta animaduertimus, vtraq; manu tenenda: &, ſi qua temerè, vel non conſideratis verè ſententijs, vel ſtudio contradicendi labefactari videmus; ea quo pacto tueri, atque defendi poſſint, ſpectandum. ac, cum, vt Galenus ait, errare non ſit ſupra captum humanum, condonanda ſunt quædam vel memoriæ, vel iudicij ἁμαρτήματα bonis authoribus: eaq́; dextrè corrigēda. hic autem obſeruabit ſtudioſus lector, quàm multa de veterum ſcriptis collecta Galenus recitet: quàm dextrè ſæpè integra ſcripta in compendium redigat: quæ probet: quæúe improbet: quasq́; iudicij ſui rationes afferat.

Nunq. int' Anatomicos, et herbarios contendendi finis e:

quia

quia verò dictis Hipp. non voluit nos assentiri propter authoritatem; verùm rationes euidentes: eadem sententia ipsum quoque teneri existimabunt, & non tàm dictis, quàm rationibus Galeni fidem adhibebunt. cum autem ignari doctrinæ de natura rerũ de rationibus nihil iudicare possint; facile intelligũt artis medicæ studiosi verbum illud Damasceni verũ esse. Qui in scientijs naturalibus versatus non est, medicum se fore desperet. in primis autem vt nõ tantum de temperatura corporum; verùm & auxiliorum rectè iudicet, & rationem, modumq; adhibendi, atque medicamenta componendi, & miscendi, et variandi cognoscat, scientia de rerum natura in medico requiritur. quomodo enim intelliget medicamẽtùm esse calidum, vel siccum; nisi siccitatis, & caliditatis causas, atque notas teneat? hæc verò, vt conspectiora sint, primùm quidem non solùm descriptiones, & imagines simplicium; sed ipsa etiam nosse: nec disputationum Physicarum de causis saporis, & odoris ignarum esse oportet: deinde, cum his ea, quæ in libris de simplicium medicamentorum facultatibus, deq; eorundem compositione reperiuntur: diligenter conferre, atque attentè in compositione rationem methodicam spectare. vt autem methodus simplicia cognoscendi nihil aliud est, quàm naturæ

Medicus naturaliũ Sntiam ac sciam teneat:

Simpliciũ cognitio qd requirat:

Methodus cognoscendi simplicia qd sit:

rerum consideratio, qua spectatur artificiosè quibus de causis hac, vel illa qualitate, & vi prædita ad has, vel illas affectiones medicamenta adhibeantur: sic componendi methodus est quædam artificiosa naturæ imitatio, qua, dum simplex intentionibus curatiuis non subseruit; miscentur medicamenta similia gradu, vel specie, vel dissimilia, vel contraria seruata ea analogia, vt sequatur forma, quam intẽdit artifex introducere: & secundum quam agere rectissimè, & in qua commodissimè conseruari possit. in vsu verò indicationibus certis gubernantibus iudicium, atque actionem medici conferuntur auxilia, atque vires eorum cum ipsis morbis, ac horum causis: & quæ, ac quomodo naturæ prodesse auxiliũq; ferre possint, deniq; quam proportionem medicamẽtum cum affectione, cui adhibetur, habeat, spectamus. sed de his suo loco dicemus plura. illud hîc monendum est ad iudicij dexteritatem plurimum facere non solum hac in parte, verùm in vniuersa physiologia; si Aristotelica cum Galenicis diligenter conferantur. nec Arabum lectionem, præsertim Auicennæ, Auerroidis, Auenzoaris, & Mesuæ &c. prorsus negligemus, sed iudicio recto in legendo vtemur: &, quod Montanus dicebat, nos in illis multos errores, qui vel temporum incuria, vel interpretum

negligen-

negligentia irrepſerunt, legere exiſtimabimus. græcorum aũt collationem Philotei, Aretæi, Ruffi, Dioſcoridis, Pauli, Aetij, Tralliani, Actuarij, Stephani Athenienſis plurimum lucis, atque momenti lectioni Galeni allaturam tàm certum, atque perſuaſum nobis eſſe debet, quàm quod eſt certiſſimum. cæterùm de viris ingenio quidem præſtãtibus: ſed qui in ſeculum βαρβαρον inciderunt, ac multò plura intricant, quàm extricant, Iacobo, Monacho, Vgone, Gentile, Petro Aponenſi nihil hic dico: Latinos verò, Celſum, Plinium, Aurelianum, Marcellum, & alios, qui nondum inclinata re latina ſcripſerunt: certè cognoſcendos ſtatuo; præſertim cum res à Græcis traditas, & intelligant, & explicent. practicos (vt vocant) Nicolum, Valeſcum, Gordonium, Gradium, Montagnanum, Herculanum, Gattanarium, Varegnanum, Sauonarolam, Tornamirum, Guainerum, Bauerium, Barzicinum & recentiores his fortaſſe nõ inferiores, cum multa vſu didicerint, & monere rectè poſſint, vt nequaquam penitus abijciendos puto, ita in illis bona ingenia ad eum modum occupari nolim, vt interea lectionem, & cognitionem integram Galeni negligant, & Hippocraticæ doctrinæ obliuiſcantur. quò enim hæc vehementius placuerit præ cæteris, & quis illam plu-

ris fecerit, eò se magis in studio medico profecisse existimabit. cum verò recentiores Galeni, & Hippocratis interpretes, Leonicenus, Montanus, Curtius, Manardus, Fernelius, Iulius Alexandrinus, Trincauella, Iacobus Syluius, Rondeletius, Valeriola, Fuchsius, Biesius, Gesnerus, aliiq; complures doctrina, atque vsu artis medicæ viri excellentes, quorum lucubrationes, vel extant, vel in expectatione sunt, doctrinam veterum, in primis autem Hippocratis, & Galeni, omnibus modis illustrare, & contra quorundam curiositatem tueri conentur, gratissimo animo studiosos eorum labores amplecti: & non modò in legendo illorum iudicium, ac præscriptũ ordinem sequi, verùm integrum doctrinæ corpus sibi, adhibitis quasi his architectis constituere, atque exædificare debent. verissimè inquit Plato tenuiores animi seria studia non suscipiunt: ideò prudẽtia, & iudicio eorum, qui in arte diu, & cum laude sunt versati, niti atque regi iuniorum conatum oportet. sed nescio, quomodo haud equidem rectè tanquam in Sirenum scopulis hærent plurimi in recentioribus libellis: & de his opinione quadam mirifica scientiæ inflantur. multi in veterum quidem lectione versantur, sed, cum viam doctrinæ ignorent, nec prudẽti duce, atque magistro vti velint; fit vt de illis, quod

Recentiores medici cultiores

Græci

Græci dicunt καλῶς μὲν τρέχουσιν, ἀλλ' ἐκτὸς τῆς ὁδοῦ *verè vsurpari possit. neque enim integræ, aut solidæ eruditionis causa, sed ostentationis inanis veteres legunt: & modò huc, modò illuc feruntur. &, si quid fortè in transitu tanquam canis è Nilo obbibunt; vel impudenter eructant: vel, cum sint* κακοστόμαχοι; *in absurdas opiniones conuertunt, ac de illo veluti araneus ex se aliquid fingunt. sed hæc mittamus. de ordine verò librorum, vtinam extaret is liber, quem se Galenus scripsisse affirmat. interea verò pauca ea, quæ initio* περὶ συνθέσεως τῶν φαρμάκων τῶν κατὰ γένη, *& ad finem libelli* μικροτέχνης *monet, artis medicæ studiosi considerent. atque his adhibeant ea, quæ tum alij viri docti, tum præcipuè Montanus, Iulius Alexandrinus & Iacobus Syluius de ordine, ac ratione ordinis, quo libri Galeni legendi sint tradunt. huic meo consilio si qui obtemperauerint, & non modò paucis annis in doctrina Hippocratis, & Galeni versandum, verùm consenescendum sibi existimauerint, magnum non solùm ipsi commodum ex eo adipiscentur, verùm præclarè de rebus humanis agetur: dum plurimi ex illorũ eruditione industria, ac exercitatione id capient: & medici conseruationi corporum humanorum, rectæ conscientiæ, veræq; dignitati maiorem, atque optandum*

De ordine librorum Gali:

dum in modum consulent. in Lectione verò ita versabuntur, vt Græca cum bonis interpretationibus latinis coniungant, ac repetitam, & iteratam lectionem optimum commentarium esse sibi persuadebunt: nec stylo, quantumuis sit laboriosum multa scribere, parcendum putabunt. ego quòd potui, quòdq; cum beneuolentia coniunctum est, monitis iuuare doctrinæ cupidos volui: quibus si non omnes moueo, aut delecto; sciant hæc magis ad exacuendos bonos, qui vera discere cupiunt, quàm deferrendos improbos, quibus audacia pro scientia est nobis suscepta. Tibi verò præstantissime REDINGERE *quod hoc in loco* προσφωνῶ *etsi ineptum, & parum conueniens personæ tuæ, qui non medica, sed politica magna cum laude tractas, quibusdam videbitur: tamen non solum hanc tenuem gratificatiunculam, verùm longè maiora beneuolentiæ tuæ erga me singulari, & meritis in rem literariam deberi verè statuo: vestrumq; genus prædicationem magnam mereri, quod fratres tui,* IOANNES THOMAS, *atque* IACOBVS *cum singulari spe in Iuris, & optimarum artium studijs versantur: & vos magna liberalitate bona, & moderata ingenia, ne fortuna aduersante in studiorum curriculo impediantur, adiuuatis. quare hanc significationem voluntatis meæ*

tibi,

tibi, tuisq; amantißimè deumctæ libenti animo accipies: & me hominis amicissimi, & beneuolentissimi officio nullo vnquam tempore aut loco defuturũ planè tibi persuadebis. Te vt viuere diu, & rectissimè valere opto; ita, cum tibi nunc valetudo ægra, atque infirma sit; vt Deo dante confirmetur; optima fide operam do. Vratislauiæ die xx *Nouembris: die meo Natali, quo* xl. *ætatis annum inchoabam: quem, vt benignè* CHRISTVS *è Virgine ante annos* M CCCCCLIX. *natus, fortunet; toto pectore precor.*

IOANNIS BAPTISTAE MONTANI σωματοποίησις

LIBRORVM,

DE ELEMENTIS.



CVM omnis methodus, ars, actio, & prælectio bonũ aliquod appetere uideatur, cuius gratia agit, quodcunque agit: medicina autem cum sit ars, & ipsa finem necessariò habet aliquod bonum. bonum autem, quod inquiritur in medicina, & cuius gratia agit, constat esse sanitatem. sed, cum omnis ars sit collectio quædam multorum theorematũ ad utile aliquod in uita directum, quod habet rationem boni: propterea medicina habebit necessariò collectionem, quæ theoremata, si unam artem facere debent; non tantùm ad unum finem dirigentur; sed etiam inter se mutuum habebunt connexum. ut igitur habeamus sententiam horũ theorematum, suiq; connexus, & relationem ad finem; progredi duabus uijs possumus. altera est per uiam compositionis: altera est, quæ ab opposito. quando ab ultimo ad primum resoluendo regredimur: & ista uia resolutiua dicitur, quæ fit à notione finis. hanc in omnibus suis libris Galenus, ubi ex professo uel artem, uel ipsius partem instruit, semper prosequitur. propterea nos

Finis medicinæ sanitas.

Ars quid.

Doctrina cõpositionis & resolutionis.

Gal^s arti' docet p doctrina resolutiuam:

SEX METHODI PARTES

nos quoque, qui Galeni dogmata profitemur ea uia insistentes, totam artem compendio trademus ita, ut inde non tantum habeantur summa capita singularum partium ipsius; sed ut Galeni libri per eandem methodum distinguantur, usúsq́; , atque utilitates singulorum librorum habeantur. cum ergo (ut diximus) à notione

Finis Medicinæ sanitas, Sanitas q̃d

SANITAS:

finis resolutionem in artibus fieri oporteat, finisq́; sit in medicina sanitas; ab ipsius ratione exordiri oportet. primò ergo conceptum, quem habemus, sanitas est: ut sit habitus quidam corporis, unde actiones proueniunt secundum naturam: & proportio quædam sit quorundam, ex quibus animal constat. in animali autem uidemus multorum membrorum compositionem diuersissimam ad diuersos usus fabricatam. uidemus prætereà unionem partium ita, ut, dum sunt constituta in tali structura, & tali unione, & proportione; actiones laudabiles fiant. & talis unio partium, ac talis compositio diuersorum instrumentorum præsupponit mixtionem quandam esse alicuius, & aliquorum elementorum: ex quo, uel ex quibus huiusmodi partes componantur. à notione igitur finis hæc habemus hactenus. quòd si sanitas debet acquiri, aut conseruari; necessarium est scire proportionem, quæ est in corpore, complexione & unitate partium ita, ut dum se habent secundum naturam; conseruentur: dum uerò excesserint; restituantur. ex quibus ita dispositis seruãdis sex sequuntur partes methodi: una est methodus, uiaq́; , ac certa ratio sanitatis tuendæ. altera est methodus recuperandæ sanitatis,

Si sanitas debet acquiri, ut conservari, quid sciendum:

1. Sanitas cõseruada.
2. Amissa

tis, quæ amissa fuit. (De libris Galeni, qui ad utrãq; methodum seruiunt suis locis dicemus, & eorum scopos, & intentiones declarabimus) sed, cum sæpe proportiones prædictæ, & earum oppositiones proportione sensui non sunt manifestæ, quibusdam apparentibus necessario cognosci oportet: propterea altera pars methodi inuenienda est: in qua eadem uia, ac ratione signorũ formas, ac regulas colligemus. et ita erit tertia methodi pars. ac simili modo suis locis Galeni libros enarrabimus, eorumq; summa capita dicemus: in quibus huiusmodi methodus tradetur. quoniam uerò signa necessariò indicant; significant aut corporis, aut corporum dispositiones tum naturales, tum præter naturam. propterea quoque pars quarta methodi ad usum necessarium accedit: in qua tradi debet uia, ac ratio, quomodo quæcunq; dispositio accidere possit corpori præter naturam. Nec desunt circa hanc partem methodi Galeni uolumina, quæ suo loco non omittantur. frustra autem inquiremus uel dispositionem præter naturam, uel naturales, uel signa etiam, eorumq; causas, nisi principia elementaq; cognosceremus: ex quibus natura consistat. constare autem diximus tum ex aliquo, uel aliquibus elementis, tum ex compositione multarũ partium, siue instrumentorum, tum ex congruo eorundem connexu, et figura. tunc igitur resultat quinta methodi pars, in qua agere oportet de elementis, de temperamentis, membrorum connexu, & facultatibus eorundem. de qua methodi parte sicut & de reliquis omnibus

recuperanda.

3. doctrina signorum.

4. De dispositionibus præter naturam.

5. Elementa & temperamenta corpori cognoscẽda.

nibus Dux noster Galenus exquisitißimè pertractat; sicuti nos paulò post recensebimus. cum uerò ars tota Medici circa actionem uersetur, actioq; huiusmodi instrumento indigeat, quibus tum conseruare, tum acquirere sanitatem poßimus: propterea materia quoq; huiusmodi instrumentorum requirenda est. unde quoque sexta, & ultima methodi pars elicitur: de qua plurimi quoque Galeni libri extant, quorum singulorum sententias considerabimus. à notione igitur finis elicimus (sicuti apparet) sex methodi partes, quæ ita ad artem nostram medicam sunt tum sufficientes, tum necessariæ. & quantum ad sufficientiam neque plures, neque pauciores esse possunt: quantum ad neceßitatem nullo modo nos posse assequi medicinæ artem sine horũ omnium cognitione optima. igitur ab ea, quæ secundũ compositionis ordinem occurrit, incipiemus: & ab ultima, quæ secundum ordinem resolutionis, quæ prima fuerat, progrediemur. primùm, quod occurrit in hoc ordine, est, ut consideremus principia, ex quibus constet animal. prima autem principia sunt elementa. habemus itaque, sicuti polliciti sumus, præ manibus libros Galeni de elementis. uideamus quoque methodũ, qua ipse nititur in elementis corporibus dijudicandis. unum igitur proponit à natura rei obseruatum, in quo fundabit totam inquisitionem de elementis. primùm tale est quærere, utrum unum, uel plura sint elementa. secundum, si plura, quæ, quot, & qualia. ad primùm utrum unum, uel plura, ex Hippocratis fundamento

6. De materia medica mẽtorum.

Principia ex quibus cõstat animal sunt elementa.

Galenus inquirit vtrũ vnum vel plura elementa.

ita

ita inquirit. Si unum esset elementum, ex quo animal componeretur; non doleret; dolet autem: ergo non unum. hæc tota sententia est, in qua maximè innuitur plura esse elementa. quòd autem elementa cum plura sint, ab inuicem etiã patiantur, probat ex eodem ferè fundamento, scilicet ex dolore. Nisi enim paterentur, alterarenturq; elementa; nihil sentiret animal plus ex ictu, & punctura, quàm sentiat domus composita ex lateribus, & cemento. In qua re unũ est aduertendum, quàm sibi conformis Galenus sit: qui alibi credit solutionem continui primam, & propriam causam esse doloris. datur hîc ansa dubitandi, ut cautiores progrediamur: sed non est propositum nostrum quæstiones discutere. postquam igitur probauit tum plura, tum alterabilia, præterea esse quatuor, ex quibus mundus constitueretur: ex eisdem enim alimur, ex quibus sumus; alimur autem ex elementis: ergò ex elementis constituimur. unde consequentiam pluribus uerbis probat, disputatq; contra Athenæum aliter sentientem: docetq; ibidem, utrum elementa sint qualitatis primæ, uel corpus ex his, & materia prima compositum: & utrum commisceantur simul corpora tantùm, sicuti stoici uoluerunt: an qualitates tantùm, sicuti ipse docebat Aristoteles: an utrumque, sicuti ipse magis credere uidetur. His peractis primo libro

Summa primi libri de elemẽtis.

Elemẽta ab inuicem patiuntur & alterantur.

Doloris p^a cã, sm Galen, [illegible] soluto continui

Ut Gal^s credere, qualitates [illegible] substantias simul elementorum [illegible] misceri.

elementorum eadem methodo inquirit in secundo de secundis elementis humani corporis, quæ sunt humores. Methodus autem inquirendi talis est. ex sanguine nutritur animal: ergo ex quatuor constat humoribus. probat consequentiam cum medijs traditis ab Hipp. in libro de natura humana. Tum quia in sanguine qualecunque sano quatuor diuersæ substantiæ reperiuntur: pars aquæ, crassa: pars fœculenta terrestris, quam probat ex fibris apparentibus in sanguine ratione quarum fibrarũ extra uenas coagulatur pars subtilior. supernatant alia substantia inter omnes istas media, quæ propriè syncerus sanguis appellatur. probat etiam ex alia ratione, quòd medicinæ, quæ proprios humores ab occulta uirtute attrahunt, semper habeant in corporibus etiã sanis, quod attrahant, siue humor attractus sit biliosus, siue pituitosus, siue melancholicus: ubi obiter disputat contra Erasistratum, quæ medicamenta generare proprium humorem in corpore poßint. Et sic perficitur tota speculatio de elementis ab ipso Galeno.

In secundo libro agit Galenus de secũdis elementis videlicet humoribus.

Ratione fibrarum coagulatur sanguis.

LIBRI DE HVMANA NATVRA σωματοποίησις.

ACCEDAMVS modò ad librum de natura humana Hippocratis, quam tali methodo inqui-

inquirit. in hoc libro intentio est inuenire naturam humani corporis: primò, an multiplex, an una sit. uenaturq; multiplicem tum ex sensu: quoniam, si esset una; non sentiret animal: tum ex alteratione; quoniam calefit, frigescit. sed nihil alteratur, nisi de contrario in contrarium. ergo, si alteratur; multiplex est, & non una. Tandem ex generatione; ex semine enim generatur, & ex alimento attracto à uirtute seminis: ergo ex pluribus generatur. inquirit posteà, ex quo multiplex est, ex quot cõstituatur: probatq; ex quatuor, quoniam ex iisdem sumus, & nutrimur. ex elementis autem nutrimur; ergo ex elementis sumus, ut discurrenti patet. Quatuor autem elementa esse, ex quibus uniuersum constat, probat: quia in ea unumquodq; generatum resoluitur et ab iisdem alteratur. Elementa enim propinqua, ex quibus conficitur animal, probat esse quatuor, cum primis elementis proportionem habentia; bilem, pituitam, atram bilem, & sanguinem: quod ostendit experimento euacuationum; quocunque enim tempore euacuetur animal etiam in summa sanitate constitutum, educetur uel pituita, uel bilis, secundum facultatẽ medicamenti exhibiti. item, quando aliquis istorum humorum fuerit plus æquo euacuatus; dolet animal, & ægrotat. Habere autem proportionem ad quatuor elementa uniuersi, & probat

Intentio libri de natura humana.

2 Probatio naturam humanam non simplicem sed multiplicẽ.

Ex eisdem sumus et nutrimur:

3

4

5

ex actionibus, & paßionibus. In ætate enim adolescentiæ, in qua dominatur calor, maximè etiam dominatur bilis igni qualitatibus respondens. in descensu uerò ætatis, in quo siccitas quidem augetur, caliditas uerò diminuitur, excedit succus melancholicus terræ similis. sed aucta in senio frigiditate usque ad intensum gradum, aqueo humore replentur corpora aquæ proportione respondente. In pueritia humiditas calori iungitur, & sanguis ut plurimum dominatur, qui ad ueris qualitatem refertur. anni præterea tempora sunt proportionata humoribus: nam uer sanguini, æstas bili, autumnus melancholiæ, hyems pituitæ respondet. atque inde est, quòd mutationes temporum tum pariunt, tum remouent morbos. hæc methodus est Hippocratis in toto hoc libello, quem si uultis uidere; legatis ultimum commentum Galeni super hunc librum.

LIBRI DE ATRA BILE

σωματοποίησις.

Cur Libm de Atra bile composuerit:

CVM uerò quidam antiquorum quatuor esse humores negarent in humano corpore, ac præcipuè humorem melancholicum, inter quas fuit Erasistratus; inde coactus fuit Galenus edere librum, qui de atra bile inscribitur. cuius intentio principalis est ostendere bilem atram etiam in cor=

De quatuor humoribus natr[?] s[?] habentibus.

in corpore humano generari. ut tamen hoc melius faciat; incipit à notiori, ut semper solet. notior autem omnium humorum est sanguis, ex quo reliquos omnes humores esse probat partim ex diuersis sanguinis saporibus, partim coloribus, & substantijs: qui enim subtilis, & subruffus, insipidus, pituitosus est: qui subfuluus, amarus, & spumans cum leuitate, biliosus, qui niger, acris, & crassus, melancholicus. his colligitur quatuor esse humores, quorum pituitam quidem in sanguinem conuerti; si ulterius concoquatur: & propterea nullum habere instrumentum, uel uas proprium: bilem tum amaram, tum nigram in sanguinem uerti non posse; cum sint ulterius decocta: propterea illis receptacula esse à natura constituta, ut in quibus utriusque redundantia reciperetur, hæc tum in corpore, tum ad æqualitatem proportionum seruarētur, quamdiu animal degit. Si uerò immutantur ita, ut uel pituita acida, uel salsa, uel crassa, sicuti uitrum reddatur, nec quantitate excedat, proportionales nascuntur eiectiones, secundum diuersum raptum eius materiæ, si uerò bilis amara, uel admisceatur sero sanguinis, & fiat ea, quæ ocra, aut pallida dicitur: uel crassescat, uel fiat uitellina; ægritudines fient illis quoque proportionales: sicuti etiam, si quantitate excesserint, ex qua plurimum icteri nascuntur. si uerò in stomacho

Quatuor humores.

Sanguis Pituitosus, Biliosus, Melancholicus.

Si pituita vlterius coquatur in sanguinem conuertitur.

Pituitæ corruptæ species.

Bilis amara mixta sero sanguinis pallida.

De humoribus p[?] n[?] s[?] h[?]tibus.

macho generatur, fiatq; uel praßina, uel erugi-
nosa, uel isatodis, id est, glauca; ex his quoque
causis ægrotat animal. ut, si bilis aduratur, uel
succus melancholicus; fiunt peßimæ, et malignæ
ægritudines, quæ cacoethe dicuntur tum in com
plexione; sicuti febres pestilentiales: tum in
compositione; sicuti cancri ulcerati, anthraces,
ac reliqua huiusmodi mala: tum in solutione con
tinui; sicuti ulcera telephia, chironia, & huius-
Cancri occulti modi. à succo melancholico nõ adusto fiunt can
cri occulti, elephantiasis; ubi sanguis melancho
licus dominatur. hæc sunt, quæ in libro de atra
bile continentur; ubi Galenus obiter disputat
contra Erasistratum tenentem medicinas soluti-
uas generare humorem, quem attrahunt.

GALENI LIBRI PRIMI DE TEMPERAMENTIS

σωματοποίησις.

COMPLETO igitur tractatu de elemẽ-
tis tum remotis, tum propinquis humani corpo-
ris, ordine doctrinæ accedit ad temperaturas
Galenus: in quibus utitur tali methodo. Tria o-
mninò considerat, sicuti tres libros facit: in pri-
Summa trium librorum Gal. mo inuestigat naturam temperamentorum: in se-
cundo addito numero inuestigat signa singulorũ.
in tertio determinatis temperaturis distinctis,

sua signa docet, quæcunquæ alterant humanum corpus ita temperatum. primò igitur inquirit, cur alij tantùm quatuor temperaturas posuerũt: alij uerò duas. nam qui quatuor tantùm, sumpserunt argumentum ab eo, quia quatuor sunt elementa, & quatuor anni tempora; ita sunt quatuor temperaturæ illis respondentes; uidelicet calida, & humida; calida, & sicca: frigida, & humida: frigida, & sicca. qui uerò duas tantùm temperaturas posuerunt, dicebant tantùm esse calidam, & siccam: frigidam, & humidam. caliditas autem adiuncta humiditati diu non esse potest, ut ipsi dicunt; calor enim exiccat humidum: & ita redditur complexio calida, & sicca. frigiditas etiam cum sicco diu stare non potest; statim enim humor generatur, atque humore repletur corpus propter plurimas cruditates: & ita non esse nisi temperaturam calidam, & siccam: frigidam, & humidam. contra quos instant quatuor ponentes temperaturas; nam non est uerum, ut dicunt, à quolibet calore exiccari humidum; sed ab eo tantùm calore, qui iungitur siccitati: calida enim aqua non exiccat; sed humefacit; quoniam in ea est calor cum humido. quatenus ergò calida calefaciet, eatenus humida humefaciet. et ita non est uerùm quemlibet calorem exiccare; calori enim, quatenus calor est, nulla actio competit, nisi calefacere, atque

Quatuor temperaturæ.

Cur quidã duas tantùm temperaturas posuerint.

Diluit argumẽta eorum qui duas temperaturas ponunt.

Male igit' arguebat Monopolitanus ille; q nõ dari cerebrũ calidũ, & humidũ asserebat, qm à calore humiditatẽ absumi putabat, etc.

omnino eadem ratio de frigida, & ſicca temperatura: quatenus enim frigida frigefacit, eatenus ſicca exiccat. quos omnes redarguit Galenus inquiens: nimis frigidè, & parùm ingenioſè propter imperitiam Logicæ uenatos eſſe naturam complexionum. primumq; quod admiratur Galenus, tale eſt: quomodo non uideant, quòd ipſi dicunt temperaturam calidam, & humidam: frigidam, & humidam, etiam nomina eſſe exceſſuum. quòd, ſi exceſſum ſignificant; cur tam ineptè omiſerunt æqualitatem, à qua debemus metiri exceſſus? quomodo enim ſciemus excedere aliquam temperaturam per calidum, & humidũ: frigidum, & humidum, &c. niſi referamus talem exceſſum ad æqualitatem aliquam? In primo igitur errarunt, quòd omiſerunt temperaturam æqualem, in qua nulla penitus qualitas excedit. poſſe autem eſſe temperaturam talem probat ratione, & experientia. ratione; quia ubicunque datur exceſſus, ibi & æqualitas. experimento; quoniam ſi accipias aquam calidam, ut quatuor, & admiſceas aquam frigidam, ut quatuor; facies temperatiſsimam: in qua neque caliditas, neque frigiditas dicetur. poſita igitur æquali temperatura ſtatim habemus octo inæquales temperaturas: nam, ſi poteſt excedere per temperamentum per calidum, & humidum; poterit etiã excedere per calidum tantùm, & humidum tantùm:

Ab æqualitate debemus metiri exceſſum.

probat eſſe poſſe temperaturam æqualem.

inæqualis.

Octo sut inæquales temparaturæ. unica uero æqualis:

tùm: ita habemus tres excessus. & , si excessus fuerit per frigidum, & humidum; erit & per frigidum tantùm, & per humidum tantùm: & habemus alias tres. ita cum alijs duabus annexis octo erunt, & media inter omnes erit nona. praeterea sic probat. ubi excessus, ibi aequalitas: neque enim excessus dicitur, nisi aequalitatis ratione. experientia etiam, & per inductionem probat aequalitatem esse commemorando singulorum membrorum diuersas partes excessus: concludit enim cutem in nullo excedere: & sic esse temperatissimam. est hic notanda controuersia Gale. hic enim dicit sanguinem calidissimum esse eorum, quae sunt in corpore. in secundo uerò huius dicit bilem calidissimam. dicatis igitur sanguinem intelligere pro tota massa, cui etiam bilis admista est. in secundo uerò bilem ad reliquos humores, & partes comparare, & ita secundum rationes diuersas utrumque uerum est.

Temperatiss. cutis.

CONTROVERSIAE DILVTIO:

Sanguis calidus in corpore quomodo intelligendum.

LIBRI SECVNDI DE TEMPERAMENTIS

σωματοποίησις.

IN secundo autem de temperamentis lib. prosequitur, quòd in primo probauit de complexionibus: & incipit à temperata, cuius actiones, et uirtutes connumerauit. ab actionibus enim cogno-

Ab actionibus cognoſcuntur temperaturæ.

gnoſcuntur temperaturæ, & earum æqualitates, quæ ad earum actiones referuntur, ut ſuprà dictum eſt. ad ætatum temperaturas progreditur: notum enim eſt æqualitatem ab ætate immutari ubi illuſtrem illam quæſtionem interſerit. de calore pueri, & adoleſcentis uter maior, & longo proceſſu exquiſitiſsimè diſcutit, poſtea dat methodum cognoſcendi, diſcernendiq́; omnes temperaturas à tactu primo calido, frigido, humido, & ſicco: ubi obiter docet calidum, & frigidum tactu diſcerni: humidum, & ſiccum etiã ratione: atque ibi de duro, & molli pulchra ſcitu tractat. omne ſiccum eſt durum: non tamen omne durum ſiccum, enumeratq́; membra, quæ debent eſſe calida, & humida: quæ frigida: quæ ſicca. ergo differentiam temperaturarum ſumemus à tactu, ſpectando, quæ mollia, quæ dura, quæ gracilia ſunt, quæ obeſa, quæ pinguia, quæ carnoſa, quæ omnia non tantùm tactu; ſed etiã uiſu diſcernuntur cum aliquo rationis diſcurſu. ſumitur deinde differentia ab his, quæ uiſu apparent, ut hiſpiditas, & hirſutia pilorum. atque hîc pulcherrima habes de cauſis, & ortu pilorũ. aduertit etiam nos ex ſingulis in uno membro apparentibus non debere totum corpus iudicare; ſed illud tantùm membrũ, in quo illa ſigna tantùm apparuerint. unde malè iudicant, qui ex caluitie uniuerſum corpus ſiccum eſſe arbitrantur.

tertiò

Calidũ, et frig. tactu. humidum et siccũ et rōne discernit:

tertiò etiam sumitur differentia à colore pilorũ, & cutis. aduertendum tamen in regionibus temperatis hæc signa maximè uera esse, alioqui æthiopes semper sunt nigri: Germani, & Galli albi maxima ex parte. cum ergo paria poßint esse in membris suis, uel æqualia, uel inæqualia, ut exempli gratia, cordis sit calidi, hepatis sit frigidi: & primò nos docet inæqualia cognoscere: deinde æqualia, ac nullum signum efficacius ponit, quàm quòd à singulorum actionibus sumitur. secundò à structura; ut si paruum, magnũ, durum, molle, asperum, leue, rectum, obliquũ, ac reliqua huiusmodi. an uenas, & arterias habeat amplas, an angustas. prætereà docet quænam illa sint talia per se, quæ per accidens: sæpe enim stomachus, exempli gratia imbecillis est non per se; sed per destillationem à capite. item biliosus non est ex se; sed ex infælicitate meatus fellis, ut de Eudemo peripatetico dixit. sciendum præterea signa quandoque iudicare temperaturam non præsentem; sed præteritam, ut patet de sene hispido, crispo, cũ amplis uenis: habet enim signa caliditatis præteritæ; cum tamen nunc ipse frigidus sit. quandoque indicant temperaturam futuram, ut patet de puero crispos, nigrosúe capillos habente: habet enim signa caliditatis & siccitatis; cum tamen adhuc humidus sit. inde dicebat Galenus superfluitatem pilorum

Caluities.

Fontes signorum quę inuestigamus temperatura.

c

Signa quædam pterita indicat, quædã futura.

rum in pueris olim futurum talem sanguinem illius, qualis nunc est illa superfluitas, indicare.

LIBRI TERTII DE TEMPERATVRA

σωματοποίησις.

Tertius liber diuinus.

Cum egerit in primo, & secundo libro de his, quæ habent temperaturas ex qualitatibus actu existentibus; in hoc tertio, qui diuinus est, & totus memoriæ mandandus, de his agit, quæ extrinsecus immutare possunt corpus. ita enim, uti suprà diximus, temperamenta plærunque immutant per facultates, quæ in eis non actu; sed potentia existunt. hic traditurus methodũ quomodo id fiat posuit optimum fundamentum, dicens. quæ ab igni facilè inflammant̃, ea dici calida: quæ non inflammantur: imò & quandoque ignem extinguunt, ea dici frigida: hac similitudine omninò docemur, quæ calefaciant, & quæ refrigerent corpus nostrũ, ac eandem esse omninò proportionem inter calorem nostrũ, & inter calorem ignis. Quæcunq; igitur corpori nostro offeruntur, si ab humano calore immutantur, & ad actum ducuntur; omnia illa calida appellantur, ita quòd tandem etiã lactucæ calefaciant; quando probè ad actum ductæ fuerint. Quæ uerò non ducuntur ad actum, omnia illa frigida dicuntur. ubi stupidorum remouet errorem: stupidi enim.

Facile ab igne inflammabilia calida sunt:

Calida.

Lactuca ad actum deducta, calefacit:

Frigida.

di enim, quæ nõ inflammantur, ea frigida dicũt, non animaduertẽtes illa etiam magis calida, quæ igniuntur, quàm quæ inflammantur, ut patet de ferro ignito, & carbone: hæc enim longè calidiora sunt flamma, quæ uapor accensus est, nõ substantia sola. hac similitudine apparet ueritas, unde fit, quòd piper facilius quidem calefiat à calore nostro naturali; sed caliditate facilè euaporabili: calchantũ autem difficilius; sed calore pertinacißimo. apparet etiam, cum ferrum, et palea respectu quidem ignis calida dicuntur: quoniam palea facilè inflammatur: ferrum uerò ignescit, & fit pruna respectu humani corporis minimè calida: imo frigida potius; cũ ab humano calore nequaquam mutari poßit. hic enim multorum fallacia deprehenditur, qui se, et alios paralogismo decipiunt. apparet tertiò omnia frigida, quæcunq; non mutantur à calore nostro innato: omnia uerò calida, quæcunq; immutantur ita, quòd etiã lactuca, &c. apparet quartò, quòd medicinæ frigidæ dictæ non immutantur quò ad qualitates à corpore humano: sed immutantur, sicuti ligna uiridia aliqua, à quo nõ uincuntur; sed uincunt ignem. &, si contigerit, quòd uincantur; augẽt ignem, et non extinguunt. dixi enim, quò ad qualitates primas: quoniam alio modo immutantur cibi, et medicamẽta à calore, quo comminuuntur in minores partes. et contingit etiam, ut ab arte- riarum

flamma qd.

PIPER:

ferrum.

Actuatio medicamenti.

riarum dilatatione attenuentur, ut hoc modo reducantur ad actum, et quandoq; interficiunt. in qualitatibus autem primis nulla fit immutatio & si fiat; tamē nec calefaciunt, nec refrigerant: & hoc est uerum Galeni dogma. atque idem est, quod uinum egregiè calefaciens, si uberius ingeratur ita, ut à calore immutari non poßit; refrigerat, morbosq; frigidos generat stuporem, tremorem, paralysin, & denique mortem: quodcunque enim corpori offertur, uel alteratur à calore secundum substantiam, & est cibus: uel secundum qualitatem tantùm, & est medicina: uel parum alteratur, & est cibus medicinalis: uel alteratur quidem; sed non uincitur; imò uincit, & est uenenum calidum: uel non alteratur, & uincit, & est uenenum frigidum. ista sunt omnia exquisitißimè in tertio declarata, quorum omnium methodus à posito fundamento sumitur, ut consideranti patet. post temperaturarum considerationem, quid primo ordine doctrinæ, qui à notioribus componendo sit, considerari debeat, uidendum: utrum facultates, siue potentiæ naturales animæ, an ipsa membra, quæ sunt potētiarum instrumenta. respondemus credere nos à potentijs incipiendum esse; actiones enim nobis notißimæ sunt: & illæ, quæ primò sensibus occurrunt. hæ uerò primò, & per se indicant, & distinguunt potentias: secundariò, & per accidēs indicant

Venenũ quo pacto morbos frigidos pariat.

Differētia inter cibum medicamentum, cibum medicinalem & venenum.

Venenũ calidũ alterat͡ qdẽ, sed à calore nati nõ uincit͡. Frigidũ uero, nõ uincitur, nec alteratur

Ordo doctrinæ.

indicant instrumenta, ut discurrenti patet. ergo primùm à potentijs incipiendum: deinde ad membra accedendum, quorum diuersitatem contemplantes singulorũ ingeniosißimas, admirandasq; structuras recẽsebimus necessariò ad certos usus ab opifice excogitatas. & ita progrediemur ad usum partium considerando, num membra propter potentias genita sint: an potentiæ propter membra: an utrunque propter usum. est autem usus rei cupiditas, & necessitas, quod posterius cognoscetur, ut mox patebit prudenter speculanti. ergo huic ordini insistentes à potentijs incipiemus: primóq; à naturalibus. Cum aũt Galenus uelit, ut apparet in libro de temperaturis, & ubique, semper à calore moderato actiones omnes prouenire tum animales, tum uitales, tum etiam naturales; libellum proposuit, in quo id ostendere conatus est. inscribitur autem hic libellus de potentiarum naturalium substantia; nam de his principaliter agit. ubi duo potißimum intendit: alterum, ut ostendat fieri harum facultatum operationes propter temperiem: alterum, fieri non posse sine sensu aliquo. &, cum plantæ has quoque facultates habeant; ideò cum Platone concludit, quæ sensum nonnullum habeant ea consequenter quodammodo esse animalia. primũ probat inductione ostendens tamdiu operari has facultates, quàmdiu fuerit calor temperatus, et

hoc per

considerat[io]

Vsus.

Omnes actiones à calore moderato proueniunt.

Summa libelli Galeni de potentiarum naturalium substantia inscripti.

Facultates, suas actiones edunt propt[er] temperiem, quæ co[n]sistit i[n] calore te[m]perato,

hoc per singulas actiones patebit discurrenti: ubi enim calor uel resoluitur, uel extinguitur, uel augetur, uel corrumpitur ob multas morbificas causas; ibi etiam minuuntur, auferuntur, corrumpunturq; operationes. alterum probat ratione. si supponamus, ut sensu patet, membra naturalia, & plantas trahere, quod sibi competat: expellere, quod illis nocuum est; tunc ratiocinamur impossibile esse trahi, quod conuenit: & expelli, quod nocuum est sine cognitione facultatis alicuius. sed nulla cognitio sine sensu fit; ergo membra naturalia, & plantæ in attrahendo, & expellendo sensu utuntur. concludimus igitur sensum quidem habere familiarium tantùm, & alienorum: reliquis uerò sensibus, auditu, uisu, odoratu, gustu, tactu priuari. obiter modo duo interserit, alterum Medico non esse necessarium inquirere, quæ sit harum facultatum substantia: ad quam assequendam manifestè asserit, ne ullum quidem argumentum inueniri alios uoluisse esse quasdam separatas substantias, quæ mēbrum inhabitant, alij spiritum, alij nullam prorsus esse, quæ operetur substantiam: sed ipsamet membra ex compositione primorum elementorū talem uirtutem formam esse. ostendiq; hîc apertè, quòd sit de substantia animæ, illam omninò famulari temperaturis corporum: quæ temperaturæ, ut ipse ait, uel sunt ex commixtione primorum

Qualis sensus in plantis.

Medico nō est necessarium īquirere facultatum substantiam.

rum corporũ, ut uoluit Empedocles, uel ex commistione omnimoda, mutataq; totorum per tota. utrum uerò corpora ipsa, an qualitates faciant mistionem; dubitatur quidem. sed accedit magis ad opinionem asserentium qualitatum tantùm immutationem fieri. quam sententiã adscribit Aristoteli, sicuti alteram stoicis: alterum, quod interserit, est, ut adferat dubitationem. cum enim dictum sit operationes naturales à calore fieri moderato, quomodo uerum est? quia à nonnullis asseritur animalia quidem calida dici; plantas uerò frigidas. respondet: Multa nos cũ uulgaribus, uel quasi in transitu, uel obiter dicere, quæ postea, cum exactè, & ex professo, uel cum peritis tractamus; longè aliter proferimus. & adfert Platonis exemplum, qui in alijs suis libris dicit plantas, ligna, &c. esse inanimata: in Tymeo uerò de hac re, ut ex professo loquens oppositũ probat. sicq; ait Aristotelem fecisse: sic Theophrastum: Non enim uulgaribus statim inhærere oportet, quæ à sensu remotißima, & cognitu difficilia sunt; nisi prius longa insinuatione, plurimisq; demonstrationibus fuerint declarata: contemnunt enim uulgares, quod non intelligunt, & docentem aspernantur. Vulgus.

Dubit.o

Respons.

σωματοποίησις LIBRORVM DE FACVLTATIBVS NATVRALIBVS.

Quatuor facultates quæ nutritioni inseruiunt.

Facultates cognoscuntur p actiones et opera:

IN *libris tribus de facultatibus naturalibus conatur Galenus ostendere quatuor esse facultates naturales, quæ nutritioni inseruiunt in singulis membris consistentes, quæ nutriuntur. cũ uerò facultates dignoscuntur p actiones, et opera; ideò ab actionibus facultates cognoscentur: ac primũ quidem de naturalibus tractaturus est. distinguit inter actiones animales, uitales, et naturales, dicens moueri quidem, & sentire secundum electionem animalium: in animalibus ergo sensum et motũ inesse animæ operationes: augmẽtum uerò, & nutritionem naturæ tantùm. cuius oppositũ expreßè tenuit in superiori tractatu, ut paulò antè uidimus. sed soluẽdi modum ab ipso Galeno habemus in his, quæ in calce præcedentis libri diximus, ad quæ recurres: aliud enim nos dicere, cum exquisitè nos loquimur: aliud, cũ nõ ex professo; sed oscitanter. & hoc est faciendũ in re tam difficili, & quæ à communiori opinione remotißima est, eam enim nõ debemus asserere nisi primò multis rationibus ita esse probauerimus. prætereà, cum actiones istæ animales notiones quædam sint; motũ ergo, et quietẽ describit inquiens quiescere tamen corpus; quando nihil ex præexistentibus in ipso immutatur: moueri*

autem

autem; cum immutatur quippiam. motionũ aũt tot species erunt, quot res, ad quas immutantur. Si igitur fiat motus in qualitatibus; alteratio dicetur: si in loco; localis: et isti duo motus simplices sunt. motus aũt in quantitate non simplex est; sed compositus: nã quod augetur, uel minuitur, locum mutat, et alteratur, ut patet. hic remouet opiniones antiquorũ de primorũ elementorũ coniunctione ostendendo eam, quæ Hipp. est, & Aristot. reliquis esse præferendã. dicit deinde ex Hippocratis, et Aristotelis sententia elementa in qualitatibus tantùm secundũ se tota alterari: nõ enim secũdũ substantiã, aut, ut dixit Zeno citteus, quoniã ueræ facultatis sit opus quoddam, ut sanguis, et actio, et sanguificatio dicit oẽm actionem opus etiã appellari posse; sanguificatio enim et opus, & actio dicitur. spiritus uerò nullo modo actio dicetur: neq; enim sanguis est actio, sed opus. alterum igitur dupliciter, alterũ simpliciter dicitur. supponit posteà pro his, quæ dicturus est ex tẽperatura, actioneq; quatuor primorũ corporum, oẽs actiones, operaq; fieri naturalia, ubi ostendit Aristo. sibi apertè contradicere: qui cum in libro de generatione omnes quatuor qualitates pariter agere inter se, et pati asserit, ut nulla magis actiua una quã altera; in lib. posteà quarto Meteor. et in problemat. totã actionem frigiditati, et caliditati tribuit, statuẽs humiditatem, &

Duo motus simplices in qualitate.

Motus in quatitate copositus est:

In quantitate motus compositus.

Elementa in qualitatibus tãtum alterãtur non in substãtia.

Opus, & actio.

Contrad. Arist.lis

ſiccitatem tanquã ſubiecta: quod eò minus Ariſt. cõuenire dicit, quãdo ipſe ponit mutuam elementorũ generationẽ à quatuor qualitatibus fieri, et nõ à diffuſione, contractioneq; materiæ, ut ſtoici uoluerunt. his miſsis methodũ proponit, qua facultates naturales inueſtigare poſsimus, ſic exorſus. Omnis facultas cauſa eſt; ergo omnis facultas eſt ad aliquid. cõſequẽtia eſt nota; cauſa enim alicuius eſt cauſa. notũ eſt antecedens; nam facultatem uocamus, quæ ad aliquid facere poteſt. ſed, quæ ſunt ad aliquid, inter ſe correſpondent, ita ut ex paſsione unius ſequatur paſsio alterius. ab operationibus tanquam notioribus, quæ ſunt effectus facultatum, numerũ inueſtigamus. Sunt autem operationes naturales in uniuerſum tres: generatio, augmẽtatio, et nutritio, ut conſiderãti patet. ergo et facultates naturales totidem erũt: generatiua inquã, et augmẽtatiua, & nutritiua. ad generationem aũt duo requiruntur, alteratio, et formatio. Cũ enim generetur in utero animal; oportet prius materiam alterari, et immutari ad formã membri inducendã: deinde formam, uel ut alij plaſmari ita, ut magnitudo, cõcauitas, eminentia, durities, mollities, reliquaq; huiuſmodi ad uſum apta reddãtur. ab alteratiua igitur ſunt prima elemẽta corporũ ſenſibilium, quæ ſunt caro, neruus, arteria, et reliqua corpora ſimilia. à formatiua fiunt cõpoſitiones, in plantationes explãtatio-

Facultas.

Operationes naturales.

Ad generationẽ duo requiruntur.

Effectiones alteratiuæ.

Effectiones affirmatiuæ.

tationes uasorũ, cæterorũq; connexorum. et hãc putat Galenus longe diuiniorem, artificiosioreq; alteratiua esse. sic ostẽdit de multis membris esse quærendum, quid sint: an cerebrum sit medulla: an uesica sit neruus: an hepar sit caro: an cor sit musculus: an pori uriteres sint uenæ, uel arteriæ. huius aũt quæstionis cum nõ sit necessariò istorũ aliquod esse; cõcludit igitur poros uriteres esse substãtiã ab alijs separatã, quæ nec sit uena, nec arteria, nec neruus: et sic de uesica, de hepate, & reliquis dicimus. cum tot de generatione dixerimus; dicit deinde, quid sit, aut quomodo fiat augmẽtatio, ac quemadmodũ illi necessariò inseruiat nutritio: si augmẽtatio esse debet in longo, lato, profundo: peruenire enim augmentationẽ ad aliquã dimensionem sine nutritione nequaquã fieri potest. de hac augmẽtatione pauca nunc dicemus sed in secũdo huius libri circa principiũ reliqua supplebimus. ad nutritionem igitur accedemus, quæ est tertia species operum naturalium, sicut diximus: hanc aũt ab alteratione distingui, cuius finis est generatio. In tali enim alteratione, ut exempli gratia, quod prius nõ fuerat, generatur. in nutritione uerò, quod affluit oßi prius existẽti, priusque aßimiletur. Est igitur nutritio aßimilatio ad nutritũ. sed, cum nutrimentũ sit in principio multũ dißimile nutrito; ideò multa instrumenta ad nutritionem fuêre necessaria. quæ enim pluri-

Formatrix Facultas, nobilior alteratrice.

Pori uritides.

Augmentatio.

Nutritio distinguit ab alteratione.

Nutritio quid

Varia instrumenta nutritionis.

plurimùm inter sese distant, eadem fieri nõ poßũt sine multis intermedijs operationibus. uaria igitur instrumẽta à natura fuere excogitata tam cõ coquẽdi alimentũ, tam expellẽdi, quod redundat, tam destribuẽdi, excernendiq́; quod est concoctũ tam attrahendi, quod cõuenit. Cum aũt, sicut suprà diximus, nutritio sit aßimulatio nutrimenti ad nutritũ; oportet, si aßimilari debet; ut prius agglutinetur: agglutinari aũt non potest; si nõ apponatur. ergo ad nutritionẽ appositio primũ, deindè agglutinatio, tertiò aßimilatio est necessaria. si ergo defuerit appositio; fiet ἀτροφία: si agglutinatio, anasarca: si aßimilatio λεῦκος. nunquam aũt nutrimentum nedum aßimilabitur; sed nec apponetur quidẽ, nisi attrahatur. Coit ergo necessaria facultas, quæ attractatiua dicitur: quã negant Asclepiades, & Erasistratus. Epicurus aũt non negauit quidẽ; sed, cum causam attrahẽdi aßignaret; ad suas illas ἀτόμους amatas respexit. satius fuerat, ut ait Galen. attractiua negare, quàm tam ridiculam causam asserere. esse aũt attractiuam uirtutẽ non in animalium tantùm corpore apparet; sed in multis alijs, ut in magnete, electro, in rumulo tritici, quod ad se attrahit, uel aquam, uel acetum, ut in hoc loco ostendit Galen. sed in corpore animalis manifestè esse his necessarijs demonstrat argumentis, & probabilibus per exemplum, attractionis urinæ à renibus. cũ enim

Facultas attractiua.

in uno

Appó, agglutinatio, Assimilatio
1
2
3

Atrophia fit deficiente appositione, deficiente vero agglutinatione, fit anasarca, sed si assimilatio desit, fit leuce, :

in uno membro fuerit probatũ; in reliquis quoq; satis patebit: est enim omnium ratio communis. cum constet urinam ab hepate ad renes, et inde ad uesicam progredi, ut sensui patet; uel sponte progreditur ea facere, ut diligens sit cuiusdam utilitatis gratia; sicuti nos aliquando in forum progredimur: uel uenæ eam transmittunt, tanquam ad colatorium, ubi ẽt excolatur sanguis, quemadmodũ in suis colatorijs cæteræ substantiæ crassæ ex colari solẽt: uel cogit renum uirtus quædam attractiua, quæ attrahit. primũ dicere ridiculũ est: secundũ falsum, & impoßibile; nam, si sanguis ita excolaretur; primò subijcerentur è directo renes uenæ cauæ, & commoda fieret transcolatio. sed hoc falsum est; nam, ut patet, utrinque positi sunt ex obliquo. prætereà, si ita esset; totus sanguis pergeret ad suũ colatorium. hoc aũt ex anatomia falsum esse deprehenditur: nam portio maxima uenæ cauæ ascendit ad cor, et superiora se maximè à renibus remouendo. alia item nõ minor descendit ad crura maximam copiam sanguinis deferens: minimi aũt ramuli eius ad renes transmittuntur. præteredà, si renes uicem tantũ colatorij supplerent, cum ad eos sanguis deuenisset; pars subtilior, & serosa transmearet: craßior uerò detineretur. sicuti in confectione casei cõtingit, ubi serum percolatũ ruminatim translabitur: craßior uerò pars retinetur, quæ casei materia

Attractionem in corpore humano esse demonstratur exemplo attractionis vrinæ à renibus.

Distributio venæ cauæ.

Probat nõ defluere vrinam ad renes, sed attrahi.

teria est. hoc autem falsum est; nam è contrario potius subtilior tantùm pars sanguinis ad renes defertur: craßior, et purior ad alias partes transmittitur. prætereà, si uenæ transmitterent serũ sanguinis ad renes; facerent id propellendo ita, ut superius constringerentur, inferius uerò dilaberentur: sicuti fit in destillatione, et in actu excernente ab intestinis excrementa. sed, si hoc fieret; totus simul sanguis tàm crassus & purus, quàm subtilis ad renes transmitteretur. cõsequẽs est falsum: ergò illud, quod antecedit. si igitur urina nec sponte, electioneq; sua defertur, nec uenæ transmittunt eam; reliquum, ut uenæ attrahant: quod erit probandum. cum uerò causa attractionis apposita sit tanquam ridicula, quam Epicurus dicit, ab amatis atomis fieri; relinquitur, ut fiat ob uirtutem attractiuam, quæ in membris est. quòd si in renibus talis sit uirtus; eadem omninò ratio est in alijs membris: & iisdem argumentis contraria refelluntur. hic modò longißimæ sunt digreßiones contra Erasistratũ, Asclepiadem, & Epicurum, quorum opiniones partim deridentur, partim refelluntur. ac simul disputat, quod alibi sæpißimè facit, contra Asclepiadem credentem medicinas nõ attrahere proprios humores; sed generare potius: & ubi generati sunt: expelli à natura.

Attractio fit à vi attractrice membrorũ:

Asclepiadis error.

FINIS.

B N J